AD EXTREMUM PANDECTARUM TITULUM, QUI EST DE DIVERSIS REGULIS JURIS...

Mathias Stephani, Giovanni Battista Coccini




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
24 A
11

AD
Extremum Pandectarum titulum,
Qui est
DE DIVERSIS REGULIS JURIS ANTIQUI,
Ex Legato Notæ, Ill.mi Cocci

Multis exemplis illustratæ,

Editæ

OPERA ET STUDIO

MATTHIÆ STEPHANI, JCti,
& Antecessoris in Academia Gryphiswaldensi.


ACCESSIT

Legum & paragraphorum hujus tituli; itemque verborum & rerum præcipuarum index.



ROSTOCHI
Impensis & literis Augustini Ferberi,

Anno M. DC. XXVIII.



ILLUSTRIBUS ET GENEROSIS DOMINIS, DOMINO WOLFGANGO HENRICO, & DN. ERDMANNO ERNESTO LUDEWICO, Liberis Baronibus in Puttbusch/ Fratribus, Dominis suis clementibus:

S. D.

ILLVstres & Generosi Liberi Barones, Domini Clementes; Duo illi tituli in Digestis, DE VERBORUM SIGNIFICATIONE, ET DE REGULIS JURIS, in calce ibidem positi inveniuntur; at in opere Basilicorum statim ab initio, titulo DE JUSTICIA EST JURE, subnectuntur. Quo ipso legum illi conditores osten-

dere voluerunt, quàm ſummè neceſſaria ſit ſtatim à primordio ſtudij legalis, & deinceps etiam, verborum & regularum cognitio. Et quidem ut in ſpecie DE REGULIS JURIS dicam, de argumento earum hoc alicui in certo licet ponere, neq; ingenio, neq; memoriæ, neq; judicio, tàm diſcentium, quàm docētium, quidquam eò magis vel utile, vel accommodatum, vel neceſſarium in praxi, in theoria, in omni juris arte & parte dici aut fingi poſſe. Quin & illud argumentandi genus ex

regu-

regulâ aliquâ juris desumtum, ad cognitionem veritatis ita necessarium est, ut sine eo, nec judex controversias definire, nec advocatus causas defendere, nec Doctor jura interpretari, nec Studiosus proficere possit; Ne dicam, quod ex regularum juris cognitione, maxima tùm in disputando solertia, tùm in decidendis causis promtitudo comparetur.

Cum verò illæ regulæ utplurimum Interpretem desiderent; ego in gratiam juris Studiosorum, ex infinitis ferè

commentarijs ad eundem titulum DE REGULIS JURIS, paratitla quædam, ſeu breves rerum ſummas vel Notas excerpſi & digeſſi.

Hoc quidquid eſt laboris & induſtriæ, Illuſtres & generoſi Barones, Domini Clementes, veſtro nomini inſcribo & conſecro, ut ſtudij, officiorum, & animi mei, in Vos argumentũ & documentum publicè proſtet. Nec dubitare vos velim de inſigni fructu, ſi regulas haſce quotidiè legeritis, & memoriæ fideliter commendaveritis: Quippe quod

eæ ſummam omniũ jurisprudentiæ diſputationum exhibent; & ſparſim alibi per partes atq́; ſpecies tradita, uno quaſi faſciculo complectuntur, ac velut abeuntia in memoriam aptè revocant, maximũ deniq́; in omni ſermone, actione, vitâ, habent uſum.

Accipite itaq́; benignè chartaceum hoc munus, & inſiſtentes veſtigijs Illuſtris & verè generoſi Domini, Domini VOLCMARI WOLFGANGI, Liberi Baronis in Pudbuſch / Sacri Johannitarum Ordinis Equitis, & Commen-

men-

mendatoris in Wildenbruch/ Domini Patrui veſtri, ſtudia veſtra ad gloriam Dei, Salutem animæ veſtræ, & utilitatem Reipublicæ dirigite.

Valete. Gryphiswaldi ex Muſeo meo, Anno 1626. die 31. menſis Auguſti, quo ipſo, prævio ſolito ſolenni actu Academico, vos veſtra nomina mihi, ratione publici officij, matriculæ ſive albo ſtudioſorum hujus Academiæ, inſerenda & inſcribenda, dediſtis.

V. V. Generoſiſſ.

deditiſſimus

MATTHIAS STEPHANI, JC.
& p.t. Academiæ Rector.



AD

Rubricam sive Titulum, Libri L. Pandectarum.

DE DIVERSIS REGULIS JURIS ANTIQUI.



Itulus est DE DIVERSIS REGULIS JURIS: Quia agit non de omnibus, quod ne fieri quidem potuit; sunt enim penè innumerabiles, sed tamen de non paucis, sed diversis h. e. varijs & quamplurimis regulis, tum ad PERSONAS, tum ad RES, tum ad ACTIONES, pertinentibus, pro ratione nimirum triplicis juris subjecti § *fin. Instit. de jure nat. gent. & civ.* ex quibus utplurimum de jure Romano judicium ferri possit. Et in libris antiquorum JCtorum complures extare regulas, quæ titulo huic insertæ non sint, nemo, ut opinor, inficiabitur. 1.

Deinde dicuntur regulæ JURIS ANTIQVI; non etiam juris antiquati, vel juris aboliti, sive ejus quod novo jure seu constitutione Justiniani abrogatum est. *Jus nam antiquum* hoc loco dicitur, quo jam diu Resp. Romana usa est, & quo etjamnum utimur: & quod à veteribus juris autori- 2.

thoribus, Papiniano, Paulo, Ulpiano, Cajo, utpote ab illis, aut Imperatoribus tunc temporis introductum, novum fuit: Justiniano autem, qui longo tempore pòst vixit, antiquum. Et in hoc significatu id omne Imperatori Justiniano dicitur antiquum, quod ante ipsius tempora sancitũ est, ut videre est ex *l. 1. § cumq; hæc 1. C. de vet. jure ènucl.* Quando itaq; sub pœnâ falsi prohibitum est, legibus abrogatis uti *l. unic. § hunc igitur C. de Justin. Cod. confirm. l. servus ff. ad L. Cornel. de fals.* illud ad hunc titulum non potest applicari, cum sc. antiquum hic non significet abrogatum.

AD L. I.

Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat, non ut ex regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, regula fiat. Per Regulam igitur brevis rerum narratio traditur: & ut ait Sabinus, quasi causæ conjectio est, quæ simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum.

1. HUjus legis hæc præcipuè est sententia: Regulam juris, esse sententiam quandam generalem & brevem, quæ quid in singulis rebus juris est, breviter & generaliter demonstrat: vel quæ rem à JCtis & Impp. antea in multis partibus juris & casibus specialibus disputatam & decisam, summatim narrat & cõplectitur. Exemplis res erit illustrior. *Mulier* potest renunciare SCto Vellejano pro se introducto. *Fidejussor* potest renunciare beneficio divisionis & ordinis. *Litigatores* possunt inter se pacisci, ne utantur beneficio appel-

appellationis. Et sic reliqui possunt renunciare beneficijs pro se introductis. Hinc igitur regula h. e. generalis & brevis comprehensio seu definitio colligitur: Omnes licentiam habere, ijs, quæ pro se introducta sunt, renunciare *l. pen. C. de pact. l. si quis in conscribendo C. de Episc. & Cler.* Et quia hæc regula (ut & reliquæ aliæ) non novum jus constituit, sed tantùm jus illud, quod antea receptum est, & per singulas species seu casus observatum, breviter, simpliciter ac generaliter explicat.

Jndè subjicit Paulus, *non ut ex Regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, regula fiat.* Ex regula non est jus sumendum, V. G. invito beneficium non datur. At hinc nemo dixerit, libertatem non dari invito: quia libertas est beneficium. Nam servo etiam invito datur libertas, *l. ult. C. de testam. manum.* Si sc. servus consequatur hæreditatem. Sic Regula est: Deteriorem conditionem nostram per servos fieri non posse. Paciscendo sc. vel jusjurandum deferendo. At delinquendo potest: quia dominus servum noxæ dedere cogitur *l. 1. § quod igitur ff de vi & vi arm. Cujat. ad h. l.* 2.

Non tamen Paulus negat, regulam jus esse, seu regulâ jus contineri. Nam jus ex regula per consequentiam sumitur; quatenus illa regula jam ante ex certo jure, vel sanctione, vel prudentum interpretatione constituta *arg. l. 15. ff. de legib.* Hoc enim est regulariter definire *l. sed & si quid 25. §. si servo ff. de usufr.* Differt itaq; jus à regula; tan- 3.

 quam

quam causa ab effectu. *Jus* est causa; *Regula* est effectus: Quia regula tempore posterior est jure specialiter constituto.

4. Non immeritò autem *in hac lege* dicitur, quod Regula sit quasi conjectio: (ut in Pandectis Florentinis legitur) quemadmodum enim olim litigatores sive causidici, antequam agerent, causam sive rem, de quâ litigaturi erant, conjiciebant, hoc est, merita causæ breviter & summatim ac quasi per indicem judici exponebant *Duar. lib. 1. disputat. cap. 46.* (atq; hoc ipsum dicebatur causæ conjectio h. e in breve coactio *Asc. pæd. in 3, Verum.*) Jta si JCrus totam alicujus rei dispositionem, ex diversis juris partibus in unum corpus redigit, & ad certa capita contrahit, regulam facere dicitur. Vt ita JC. nihil aliud voluerit, quàm quòd Regula sit aliquando juris etiam amplissimi breve cōpēdiū *Walth. 1. misc. 21. Borch. de pact. cap. 2. div. 2. n. 8.*

5. Deniq; quod Paulus *in hac lege* adnectit, *Regulam perdere officium suum, simul ac in aliquo vitiata est*: eo ipso luculenter innuit; officium quidem regulæ esse, ut in omnibus casibus, qui verbis regulæ comprehendi possunt, locum habeat, ideò quod ita ut generaliter concipiatur; attamē quoniam sæpè casus quidam proferuntur, quos ob diversitatem circumstantiarū regula non cōprehendit, hic regula perdit officiū suū, h. e. secundum regulam illam in tali casu, qui diversus est ab alijs, in quibus regula obtinet, pronunciari non potest. Jus enim ex facto oritur *l. si ex plagis 52 §. in Cliv*

§. in Clivo ff ad L. Aquil. Ideoq; modicâ mutatione facti totũ jus mutatur. Atq; hoc est, quod Javolenus ait *in l. omnis definitio 202. inf.* Omnem definitionem (quam Paulus regulam hîc nuncupat) in jure periculosam esse, parumq; esse, ut subverti non possit. Et hûc pertinet quod vulgò dicitur: Nulla regula est tam firma, quæ nõ patiatur exceptionem. Semper tamen statur regulæ, donec cõtrarium probetur, h. e. donec casus datur exceptus, in quo allegata regula, propter facti qualitatem & rationem diversam locum habere non possit. Qui enim regulam pro se habet, rem certam habere, & intentionem suam fundatam habere dicitur *gloss in d. l. omnis definitio.*

Exempli gratiâ: Regula juris est: Secundum 7. naturam esse, ut commoda eum sequantur, quem sequuntur incommoda *l. secundum 8. h. t.* Et ideò hæreditas eò pervenit, quo etiam tutela pervenit *l. quò tutela 74. inf. h. t.* Et hæc regula plerumq; vera est: Ut & vicissim tutela eò perveniat, quò pervenit hæreditas: Atq; ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus sit *§. 1. Instit. de legitt. patron. tut.* Sed hæc regula perdit officium suum in fæminis. Nam licet ad eas hereditas perveniat; secus tamen est in onere tutelæ *d. l. quo tutela.* Quia fæminæ à tutela, utpote virili officio, remotæ sunt *l. seq. 2. h. tit.*

Sic vetus juris regula est: Vim vi repellere li- 8. cet. *l. 3. ff. de just. & jur.* Verùm hæc regula subvertitur: Si ex intervallo quis sibi vim factam re-

pulerit, aut moderamen inculpatæ tutelæ non servaverit *l. 3. §. cum igitur ff. de vi & vi arm.* Defensio quippe confestim non adhibita, ultionem magis quàm defensionem sapit *Zoannett. in tr. defensionis p. 2. n. 50. & seq.*

9. Sic regula juris est: Par in parem non habet imperium. Quæ subvertitur, & officium suum perdit, Si quis in illius, cui par est, territorio deliquit: tunc enim delinquens tanquam privatus, pari subjicitur: eò quod delictis nec honores, nec privilegia indulta patrocinari queant *arg. l. 1. C. ubi Senat. vel clariss. l. in fundo 38. ff. de rei vendic.*

AD L. II.

Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt: & ideò nec judices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro aliis intervenire, nec procuratores existere. Item impubes omnibus officiis civilibus debet abstinere.

1. ULpianus *in hac lege* duo proponit capita. *Primum* agit de fœminis sive fœmineo sexu, sive virgines sint, sive nuptæ, sive viduæ. *Alterum* est de impuberibus. Utraq; capita ad publica vel civilia officia pertinent; qualia sunt, ex quibus cōmodum ad singulos & universos cives pertinet *l. pupillus § munus. ff. de verb. sign.*

2. Fœminæ ab omnibus officiis h. e. non solùm publicis muneribus, quæ personis injunguntur, sed etiam ab honoribus Reipublicæ & Magistratibus remotæ sunt. Duo a. hæc officia civilia & publica hic pro eodem accipiuntur. Et officium civile

civile eſt publicum; & econtrà, officium publicum eſt civile.

Sequitur in textu: *Et ideò nec judices eſſe poſſunt.* 3.
Hæc verba *& ideò* non aliter hic accipienda ſunt, quàm quod ſolemus dicere, Exempli gratia. Nam generalis regula ab Ulpiano quinq; exemplis declaratur. Et hæc regula (ut & aliæ) ex pluribus caſibus particularibus eſt collecta.

Et primùm ait Ulpianus: *Fœminæ judices eſſe* 4.
non poſſunt. h. e. non poſſunt à magiſtratu judices dari. Judicis enim nomen hìc pro judice dato, pedaneo judice, judice ſpeciali, exaudiendum eſt; quamvis aliàs etiam ſignificet ipſum Magiſtratum.

Secundò *fœminæ non poſſunt magiſtratum gerere.* 5.
Utrinq; ratio in fœminis eſt ſexus imbecillitas & infirmitas *l. 2. ad SC. Vellej.* & quia ſæpius adverſus propria commoda laborare inveniantur *l. 4. C. de Sponſal.* Sed rectè ait Ulpianus: *Fæminæ magiſtratum gerere non poſſunt.* Nam ab adminiſtratione & functione illa publica mulieres arcentur. Aliud eſt in officijs, quæ ſine adminiſtratione ſũt, ſed nudam dignitatem continent: ſiquidem ab his non removentur fœminæ; ſed illæ omninò gaudent nudâ dignitate, quam fæminæ ex perſona patris vel mariti conſequuntur *l. cum legitimæ 19. ff. de ſtat. hom. l. mulieres 9. C. de incolis l. mulieres 18. C. de dignitatib. lib. 12.*

Et hìc videre licet, *inter judicem datum & ma-* 6.
giſtratum plurimùm intereſſe. Nam judices dan-

tur à magistratibus. Deinde magistratus est collegium consilij publici capiendi causa constitutum, cujus officium non in litibus decidendis, sed in procurandis populo varijs commodis, nocituris͡q; præcavendis vertitur. Sed judex est, qui litigantium jura audit, & postea sententiam dicit *l. 1. § casum ff. de postul. l. cū prætor 12. § judicē ff. de jud.*

7. Tertium exemplum est; *Fœminas non postulare*. h. e. desiderium suum in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere non posse. Hoc enim est postulare *l. 1. § postulare ff. de postul.* Et fœminæ non possunt postulare, ne contra pudicitiam sexui fœmineo congruentem alienis causis se immisceant, & virilibus officijs fungantur mulieres *d. l. 1.* Et postulare est ferè eorum, qui Advocati & Patroni & Oratores vocantur. Notandum autem est, JCtum uti verbis, *alienis causis*. Illis enim exprimit, fœminas saltem pro alijs postulare prohiberi. Quocirca fæminis pro se & suis postulare permissum erit.

8. Quartum exemplum est; *Quod fœminæ non possunt intervenire*, h. e. non possunt pro alio intercedere, sive fidem suam pro alio, quacunq; ratione interponere. Qua in re subventum est fœminarum imbecillitati consilij: idq; beneficium habent ex SCto Vellejano, quo plenissimè mulieribus, quæ pro alijs intercedunt, succursum est: atque ita huc pertinet *tot. tit. ff. & C. ad SC. Vellej.* Quod autem dicitur *in hac lege*, fœminas non

posse

posse pro alio intervenire; hoc ita SCto introductum est, non ut fœminæ ipso jure tutæ sint, sed ne fœminæ, si quando pro alio intervenierint, eo nomine cum effectu teneantur, aut conveniri possint, sed conventæ actionem opposita exceptione SC. Vellejani elidant. Et sic datur quidem in fœminam pro alio intervenientem actio, sed ea actio, opposita exceptione SC. Vellejani eliditur, ac proinde est, quasi actio non fuisset data. Idem est in filiafamilias, mutuā pecuniā accipiente; qui itidem ipso jure tutus non est, ut cōveniri nequeat, sed cōventus excipit, & objicit agētibus SC. Macedonianū *tot. tit. ff. & C. ad SC. Maced.*

Quintum exemplum est: *Fœminas non posse esse Procuratores ad litem. h. e.* Fœminæ non possunt 9. alterius nomine in judicio versari, vel actionem intentando, vel alienam suscipiendo. *l. neq; fœmina 14. ff. de procurat.* Nam aliena negotia administrare, virorum magis placuit esse officium, quàm fœminarum; quibus non convenit alienis se negocijs immiscere. In quo verecundiæ earum est habita ratio. Sanè negotiorum procuratio nē rectè suscipit fœmina *l. sed si quis ff. de instit. act.* & mandati actione tenetur *l. ideoq; 10. §. si cui. ff. mandati.* Et hactenus de fœminis.

Impuberes quoq; *(qui quatuordecim annos non-* 10 *dum impleverunt)* ab omnibus civilibus officijs abstinere debent *h. lege nost.* Ratio est: quia quod hæc ætas videt, ignorat *l. 1. C. de fals. monet.* nec consentit *l. infans. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Unde

& ipsi majorum tutelæ & curæ subjiciuntur. Sanè dignitates, honores sine administratione impuberes habere non prohibentur. Et ea ratione etiam infanti feudum concedi; & impuberi beneficium Ecclesiasticum, ipseq; Canonicatus Ecclesiæ cathedralis tribui potest *c. licet 32. de elect. in 6. c. fin. ubi gl. de judic. in 6.*

AD L. III

Ejus est nolle, qui potest velle.

1. Sententia hujus legis est. Ut qui dici potest *Velle*, is utiq; & dici possit *Nolle*. Et rursus: qui non potest dici *velle*, is nec possit dici *nolle*. V. G. Si quis justæ ætatis sui juris existens, ab aliquo heres institutus est, is potest velle, h.e. si vult, potest acquirere hereditatem: Et quoniam velle potest, idem etiam potest nolle, hoc est, si non vult, potest hereditatem repudiare. Is namq; potest repudiare, qui & acquirere potest *l. 15. potest 18, de acquir. hered.* Et rursus, qui non potest velle, h.e. hereditatem adire & acquirere, is nec nolle potest, h.e. non potest dici nolle adire hereditatem: seu non potest dici hereditatem repudiare. Nam nolle adire hereditatem non videtur, qui non potest adire *l. 4. de acquir. hered.* Et quod quis si velit, h.e. etiamsi velit, habere non potest, id repudiare non potest *l. qui potest facere 134. §. fin. h. tit.* Et sic qui potest velle, potest nolle. Ad eundem modum Ulpianus dixit; Ejus esse actionem denegare, qui potest & dare *l. qui vetante 102. h. tit.* Quotiescunq; itaq; in jure quæritur: an quis noluerit aliquid

aliquid; cum primis videndum est, an etiam voluisse potuerit. Veluti, si quæstio in proposito casu sit, an quis heretitatem noluerit adire, primum attendi oportebit, an etiam adire illam potuerit.

Verùm hæc regula non procedit in administratoribus rerum alienarum tam privatis, quam publicis. Nam tutor, curator, Syndicus, & similes administratores possunt quidem & tenentur velle, & approbare id quod ab ijs, quorum negotia administrant, obvenit; sed repudiare aut improbare non possunt *l. tutor. 8. ff. de bon. possess. l. 1. §. tutor ff. de success. edict. l. pactum 22. C. de pact.* quia eiusmodi personis non est sua, sed ad commodum alterius communicata voluntas *l. tutorem 22. ff. de his quib. ut indign.* 2.

AD L. IV.

Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini.

Hoc dicit JCtus. Quatenus quis alieno imperio paret, volentem facere dicere non videri *Faber ad h. l. 4.* Nam velle is demum propriè dicitur, qui spontè pro suo arbitrio facere potest id, quod alioquin cuivis plenè libero de jure facere licet *l. si quis major. 41. C. de transact.* Cum itaq; filijfamilias & servi ad nutum patris vel domini quævis facere teneantur *§. 1. Instit. de jure pers.* Exinde rectè infert Ulpianus *h. lege.* Eum velle non credi, qui obsequitur imperio patris vel domini. Si ergo filiusfamilias heres institutus sit, & quidem hereditatem adire non voluit, tandem ta- 1.

men

men metu verberum ſive plagarum, vel alio aliquo timore coactus, ſe ſua ſponte velle, ſimulavit, h.e. ſimulans ſe aſſentiri velle, cum tamen revera noluerit, & ita fallens hereditatem adierit; ille tunc nec velle creditur; ac ob id ipſe heres nõ fit, nec patrem heredem facit, adeoq; illi hereditatem non acquirit; quia illam ſponte non adivit: quoniam per hominem liberum ſibi nemo quid acquirit, niſi hoc animo ille fit, ut operam ſuam duntaxat ipſi in acquirendo accommodare velit *§. pen. Inſtit. per quas perſon. cuiq; acquir. l. qui in aliena 6. §. ult. ff. de acq. vel omitt. hered.* Sic quoq; Javolenus, eum, qui juſſu alterius, cui jus imperandi fuit, damnum injuria dedit, actione L. Aquiliæ teneri negat *l. liber homo 37. ff. ad L. Aqu.* Et eadem de cauſa tutor meretur excuſationem, qui vi metuve compulſus authoritatem ſuam accommodavit *l. noviſſimè 7. § 1. ff. Quod falſo tutore.*

2. Et quidem hæc omnia procedunt, quoad ea negotia, in quibus delictum non vertitur. Nã in delictis, præſertim atrocioribus, juſſus nõ excuſat, *ut notatur ad l. ad ea 157. inf. h. t.* Ideoq; ſi patribus aut dominis obtẽperaverint, ignoſcitur eis in his dũtaxat, quæ criminis atrocitatem non habent *d. l. ad ea 157.* Nam in atrocioribus criminibus non debuerũt obtẽperare patris vel domini imperio, & idcirco non excuſatur ſervus vel filius; pœna tamen mitigatur *l. ſervos C. ad l. Jul. de vi publ.*

AD L. V.

In negotijs contrahendis alia cauſa habita eſt

furi.

furiosorum, alia eorũ, qui fari possũt, quamvis actũ rei non intelligerent, nam furiosus nullum negotium contrahere potest: pupillus omnia, tutore auctore agere potest.

IN hac lege JCtus cõfert furiosum cum pupillo: & docet, in negotijs contrahendis meliorem esse causam pupillorum qui fari possunt, quàm furiosorum. Rationem differentiæ Paulus ipse hic exponit: quæ sic explicanda est: pupillum, qui fari potest, & si, quid agatur, non intelligat, tamen obligari ex contractu propter authoritatem tutoris, quo interveniente negotium gestum est: furiosum non obligari, quia curator nõ possit ei, qui mente omninò caret, aut hoc fieri. Dicit JCtus, *Eorum qui fari possunt*, h.e. pupillorum qui infantiæ proximi sunt, (qui sc. egressi infantiam & linguæ gnari, at rerum adhuc ignari) & qui proximi sunt pubertati (qui sc. nondum ingressi sunt pubertatem, sed tamen propè eam sunt, ita ut annale tantummodò & semestre tempus reliquum sit) In pupillis namq; infantiæ proximis benignior juris interpretatio facta est, ut idem possint, quod pubertati proximi §. *sed quod diximus de pupillis Instit. de inuti lib. stipulat.* Et ita alia est causa habita furiosorum, alia eorum qui fari possunt *h. l. nost.* Etsi igitur & furiosus, & impubes ratione carent §. 1. *Instit. Quib. non est permiss. fac. testam.* hæc tamen inter impuberes qui fari possunt, & furiosos, differentia constituitur; ut hi nullum negotium gerere possint, & contractus ab illis celebrati ipso jure nulli sint *l.* 2. §.

si a

si à furioso 2. ff. pro emtore. illi verò omnia rectè gerant; ita tamen, ut ubi tutorum authoritas necessaria est, illi adhibeantur, veluti, si ipsi obligantur. Nam alium sibi obligare possunt sine tutorum authoritate §. *pupillus Instit. de inuti lib. stipul.* At furiosus cum curatoris sui authoritate nihil agere potest, sed omnia agenda sunt per solum curatorem *gl. in l. pupillus. ff. de acq. hered.* Ratio differentiæ est: Quia in furoso nullum animi judicium. Unde nec quicquam velle, vel agere is censetur *l. qui servum 47. de acquir. vel omitt. hered.* Sed per omnia & in omnibus absentis, vel quiescentis, loco furiosi habetur *l. 2. §. pen. ff. de jure codicill.* At verò pupillus aliquem intellectum habet, cui quod deest, tutorum authoritate suppletur §. *furiosus Instit. de inutil. stipul.*

2. Et hæc de obligationibus quæ sunt ex contractu. Quod attinet delicta, furiosus, itemq; infans sive pupillus minor septem annis, ex delicto non tenentur: Sed hunc innocentia consilij, & illum fati infelicitas tuetur & excusat *l. infans 12. ff. ad L. Cornel. de sicur.* Quia infans non magis quam furiosus voluntatem habet *l. pupillus ff. de acq. hered.* Affectu autem & voluntate distinguuntur maleficia *l. qui injuriæ 53. ff. de furt.*

3. Quod si pupillus major infante est, sive infantiæ proximus, aut etiam pubertati proximus, ex delicto tenetur. Cum enim ejusmodi pupillus rei intellectum capere possit, in delictis ei vix parci oportet *l. excipiuntur 14. ff. ad SC. Syllan.* Et

pupil-

pupillus pubertati proximus est doli capax, itemq; culpæ, furandi & injuriæ faciendæ *l. pupillum 111. h. tit.* At hanc ob causam pupilli hujusmodi, non secus ac minores puniuntur; nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit *l. auxilium 37. §. 1. de minorib.* hoc est; pupilli non solent pœnâ ordinariâ plecti, sed pœna ordinaria vertitur in arbitrariam; seu puniuntur pro arbitrio judicis. Et ferè in omnibus pœnalibus judicijs, & ætati & imprudentiæ succuritur *l. ferè 118. h. tit. Gail. 2. obs. 110. n. 20. 21. 22. & 31. Clar. 5. fin. quæst. 60. num. 2.*

Ad L. VI.

Non vult heres esse, qui ad alium transferre voluit hereditatem.

Sæpenumerò evenit, ut qui heredes instituti sunt, ob multa onera, quæ vice defuncti sustinere coguntur, hereditatem adire recusent. Consentaneum itaq; est, velut judicium aliquod proponi, quo contraria voluntas declaretur, quod quis pro herede se gerere velit: quale inter cætera est illud, cujus hoc mentio fit; si quis ad alium velit transferri hereditatem; utpote, si omittit hereditatem, ut successioni ab intestato locus sit *l. 1. ff. si quis omissa causa.* Exemplum est in *l. si quis ff. de hered. instit.* ubi, si heres legitimus vindicare nolit, hereditatem meam, hoc si fiet, successioni ex testamento locus erit. Et exinde patet, eum, qui hereditatem adire possit, illum etiam eandem o-

mitte-

mittere, & ad alium, nempe ſubſtitutum, vel legitimum heredem transmittere ſive transferre poſſe. Et hoc eſt, quod ſupra quoq; dictum; Ejus eſt nolle, qui poteſt & velle *l. 3. eod.* Et poteſt hereditatem repudiare, qui & acquirere poteſt *l. 15. poteſt 18. de acqu. hered.*

AD L. VII.

Jus noſtrum non patitur, eundem in paganis & teſtatò & inteſtatò deceſſiſſe, earumq; rerum naturaliter inter ſe pugna eſt, teſtatus & inteſtatus.

1\. SEnſus *hujus legis* eſt: Paganum, qui ſc. non eſt miles (plerumq; enim in libris noſtris Pagani opponuntur militibus) non poſſe de quadam parte bonorum teſtari, ita, ut ea ex teſtamento heredi ſcripto debeaur; de aliâ verò parte non teſtari; ſeu velle, ut ea ad legitimum heredem, qui ei ab inteſtato heres futurus eſt, perveniat. Et ideò ſi paganus ſcripſerit heredem ex parte certa, veluti ex ſemiſſe; aut ex re certa, veluti ex fundo Tuſculano; de alia verò teſtamentum non condiderit; tunc cauſſa teſtati, trahit ad ſe cauſam inteſtati & heres ſcriptus, excluſo eo, qui aliàs ab inteſtato ſucceſſurus fuiſſet, detracta partis vel fundi mentione, in ſolidum heres erit *l. 1. §. ſi ex fundo ff. de hered. inſt. l. de hereditate 19. § filiusfamilias ff. de caſtr. pecu.*

Hujus rei rationem ſubjicit Pomponius. Harum, inquit, rerum naturaliter inter ſe pugna eſt. Teſtatus & inteſtatus, ſunt immediatè contraria; ac ob id naturalis ratio, duo contraria in eodem ſimul

simul subjecto esse non patitur. Quin & cum hereditas res individua sit, *teste Paulo in l. Pompon. 8. ff. de rei vendicat.* adeoq; unius defuncti personam repræsentat § *servus Inst. de hered. instit.* non potest ea diverso jure censeri *l. eũ qui 23. de usucap.* vel non potest diversim successionis genus sortiri; ita videl. ut pro parte testatorem referat, pro parte non referat. Necesse igitur est, ut universa hereditas vel ex testamento, vel ab intestato cuipiam deferatur. Eandemq; ob causam, si plures heredes scripti sint, & ex his nonnulli portionem suam repudierit, pars deficiens accrescit coheredibus, qui hereditatem adeunt *l. unic. C. Quand. non petentium partes accresc.* Sic qui solus heres institutus est, non potest ex parte hereditatẽ adire, ex parte repudiare; sed debet vel totam hereditatem adire, aut totam repudiare, ne testator pro parte testatus, pro parte intestatus decedat *l. ex semisse 75. de acquir. hered. l. quodam elogio 20. C. de jure deliber.*

Effectus itaq; hujus regulæ est, ut ex ea jus ac- 3.
crescendi ortum sit § *hereditas Instit. de hered. inst.* Et per consequens alteram regulam hæc nostra peperit; Quod sc. causa testati, trahat ad se causam intestati, h. e. heres scriptus de una duntaxat parte, nanciscitur universam hereditatem, excluso eo, qui aliàs ab intestato successurus fuisset *d. § hereditas.*

Cæterum, cum pagani opponantur militibus, 4.
uti modò dictum, tectè hic innuit Pomponius,

militem posse pro parte testatum, pro parte intestatum decedere. Et hoc ita verè se habet. Sunt enim multa privilegia militibus concessa, quæ paganis denegantur. Et circa ultimas voluntates, inter reliqua hoc habet miles, ut possit pro parte testatus, pro parte intestatus decedere *l. si miles 6. l. quærebat 19. ff. de testam. milit.* h.e. miles qui occupatus est in expeditione, potest testamentum condere, in quo heredem scribit, ad quem post mortem suam certa aliqua pars bonorum perveniat; & quod ad reliqua bona, quorum in testamento mentio facta non est, attinet, potest intestatus decedere, ita ut ea consequatur is, qui aliàs in tota hereditate successurus fuisset, si testamentum nullũ defunctus fecisset. Quod tamen ita verum est, si prius constet de voluntate, militem sc. tali testamento decedere voluisse *§. planè Instit. de testam. milit.* Quippe quod militis sola voluntas ex speciali privilegio legum in testando attenditur *hereditas Instit. de hered. instit.* Neq; si ex duobus heredibus, quos miles scripsit, unus hereditatem repudiet, pars deficiens coheredi accrescit, sed ad legitimum heredem devolvitur, nisi alia defuncti voluntas probata fuerit *l. si duobus 37. ff. de testam. milit.* adeòq; ex *hac lege* notandum, quod in militum testamentis jus accrescendi locum non habet.

§. Planè in paganis interdum usu venit, ut testamentum pagani etiam per inofficiosi querelam ex post facto pro parte rescindatur, pro parte verò

ratum

ratum maneat: ab initio enim testator de omnibus benè testatus fuerat: quo casu regulæ huic locus non erit *l. circa 24. ff. de inoffic. testam.* sed hoc propriam habet rationem, & propter authoritatem rerum judicatarum receptum esse videtur: tum etiam, quia aliud est, qualiter testamentũ reliquerit ab initio; & quid ex post facto acciderit.

AD L. VIII.

Jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt.

PEr jus sanguinis Pomponius *hac lege* nihil aliud intelligit, quàm jus cognationis: quia jus cognationis naturale est *l. JCtus 10. §. inter 5. ff. de gradib.* In qua significatione Cajus etiam *in l. 2. ff. Unde cognati*, & Ulpianus *in l. vel si sanguine 12. ff. de manum. vindict.* jus sanguinis accipiunt. Et quod hoc loco Pomponius statuit de jure sanguinis, videlicet quod civili ratione perimi non possit, idẽ Justinianus quoq; *in §. ult. Instit. de legit. agnot. tut.* scribit de jure cognationis. Et hoc jus naturale, seu ipsa naturalis cognatio, ut sc. qui pater est, non sit pater, & qui filius, non sit filius, nullo jure civili h. e. nulla juris civilis solennitate, veluti adoptionis vel emancipationis actu, nec factione tolli aut dirimi potest *h. l. nostra*. Nam ratio juris non fert, ut jure civili dirimatur id quod civiliter constitutum non est *l. nihil tam naturale 35. h. tit.*

Cæterùm quantum ad jus cognationis attinet, quod ratione civili vel prætoria propter naturalem sanguinis cognationem introductum est, id

jure civili & prætorio poteſt tolli: quia jure civili vel prætorio introductum eſt *d l. nihil tam naturale*. Et ita jus cognationis, h. e. jus quod ob cognationem civili ratione eſt introductum, ut ſunt hereditates, tutelæ & ſimiles, capitis diminutione tolli poſſunt §. *fin. Inſtit. de legit. agnat. tut.* §. *fin. Inſtit. de cap. diminut.* Quamvis itaq; jus civile facere poſſit, ne filius patri, aut frater fratri ſuccedat; non tamen efficere poteſt, ut filius vel frater qui ſuccedere nequit, propterea filius vel frater eſſe deſinat *l. 1. §. pen. ff. de ſuis & legit. l. jus agnationis 34. ff. de pact.*

AD L. IX.

Semper in obſcuris quod minimum eſt ſequimur.

OBſcura ſunt, quæ non planè apparere videntur, h.e. ut vix, vel nullo modo intelligi poſſit, veluti de quibus neq; inter agendum convenit, neq; à ſimili, neq; ex regionis more ſubindè frequentato conſtare poteſt *l. ſi ita ſit ſcriptum 14. §. 1. de legat. 1.* Obſcuro opponitur id quod apertum eſt, & quod palàm ex teſtamento ſciri poteſt *l. ita fides ff. de jure fiſci.* Si itaq; quid obſcurum nobis opponatur, præceptum *in hac lege* datur, quatenus interpretationem facere debeamus, ut ſc. minimum ſequamur, ſive ad id, quod minimum eſt, ſumma redigatur, ut loquitur Vlpianus *in l. ſemper in ſtipulationibus 34. h. tit.* ubi eleganter tres gradus facit, qui hac de re diligenter ſunt obſervandi, quos eo loci plenius interpretabimur.

Secun-

Ad L. X.

Secundum naturam est, commoda cujusq; rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.

In *hac lege* naturalis æquitatis justa ratio ostenditur, ut qui onera vel molestias alicuius rei sentit, ejusdem quoq; commodis fruatur. Qui enim sentit onus, debet etiam sentire commodum *c. qui onus de reg. jur. in 6.* Et sic quoq; dotis fructum ad maritum pertinere debere, æquitas suggerit. Cùm n. ipse onera matrimonij subeat, æquū est, eum & fructus dotis percipere *l. dotis fructum 7. de jure dot.* sicuti vicissim, si maritus uxorem non enutriat, sed pater, ipse quoq; pater, & non maritus, dotis fructus potest retinere *l. pater pro filio 17. de doli mali & metus except.* Sic si cùm id quod per emtionem fundo nondùm tradito per alluvionem decessit, ad emtores incommodum pertineat, vicissim quoq; quod fundo per alluvionem accessit, ad emptores commodum pertinet *l. id quod 7. ff. de peric. & commodo rei vend.* Sic & facto institoris sentire debemus commodum vel incommodum *l. 1. de instit. act.* Et in societate totidem partes lucri jure adscribunt, quot damni partes ipsi addictæ sunt, quamvis nihil de lucro pactus sit § *illud expeditum Instit. de societate.* 1.

Non autem obtinet hæc regula, ubi personæ inhabilitas in commodo & onere illi locum non facit: Omnia jura namq; ad habilitatem accommodata sunt. Quamvis itaq; fœmina est heres proximi agnati, non tamen potest esse ejus tutrix 2.

 l. quo

l. quo tutela 73. h. tit. idq; propter ejus inhabilitatem: quoniam tutoris officium virile est, ad quod fœmina regulariter non admittitur. Deindè nō obtinet hæc regula in eo qui culpam admisit: Eum n. sequuntur tantum incommoda, cōmoda verò non item. *l. si negotia 11. de negot. gest.* ubi absentis negotia gerens, damnum quidem sentit, lucrum verò ad absentem spectat. Cum enim inutiliter se alienis negotijs obtulerit, sibi quoq; damnum imputet *l. quæ omnia 25. ff. de procurat.* Commoda ergo cujusq; rei eum sequuntur, quem sequuntur incommoda, si par personarum conditio sit, nec alia juris ratio obstet.

AD L. XI.

Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

1\. ID quod nostrum est, h. e. quod in dominio sive patrimonio nostro est, et de quo plenè perfecteq; possumus disponere; ejus dominium non potest ad alium transferri sine nostro facto h. e. nisi voluntas nostra & consensus adsit, & præter voluntatem nostram, etiam factum sive traditio interveniat *h. l. nost.* Cujus rei usus est: ut licet quis rem nostram nobis etiam invitis vel inscijs aliò transferre velit, nihil tamē operatur, & quod penes nos dominium nihilominus maneat, & vēdicandi potestas nobis suppetat *l. si filius 14. C. de donat. l. alienum servum 6. C. de furt.*

2\. Si quis verò hoc loco dicat, quod creditor etjam invito debitore bona oppignorata vendere

possit *l.*

possit *l. fin. C. de jure dominij impet. tot. tit. ff. & C. de distract. pign.* Item, quod in executione sententiæ, citra voluntatem & factum domini per apparitores transferatur dominium *5. Instit. de off. jud.* Et quod in usucapionibus quoq; dominium in alterum, invito & inscio vero domino transferatur *l. 3. ff. de usurpat.* Ei respondemus *ex hac lege:* Explicando verba, *sine facto.* Nemo enim rem aliquam, ut pignus conventionale distrahere potest, nisi dominus eam antequam dedit, illi obligaverit. Ubi certè factum ejus intervenit. *l. 3. in pr. ibi.* probant res in bonis, eo tempore quo pignus contrahebatur illius fuisse *ff. de pignor.* Eadem est ratio pignorum in vim judicati captorum, siquidem ejus qui nihil debet, neq; tanquam principalis, neq; accessorius debitor, bona in executione accipi non possunt *l. à Divo pio 15. §. si verò ff. de re judic.* Atq; ita primum factū, vel initium contractus potius inspici oportet, quàm pœnitentiam ipsius seram *l. procuratorem 8. in pr. ff. mandati l. 1. §. si servus ff. depos.* In usucapionibus etiam is videtur facere, qui rem suam negligit, & à possessore non repetit: Quin & quodammodo alienationi consentire videtur, qui rem suam quoquo modo usucapi permittit *l. alienat. 28. de V. S.*

Cæterùm nec princeps summus res nostras sine facto nostro nobis auferre potest, nisi ex justa caussa & publicam utilitatem concernente id fiat, ita tamen ut justum pretium possessoribus restituatur. *Christoph. Sturz. ad h. legem num. 16. & se 1.*

Ad L. XII.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

1. Sententia hujus legis est: verba testamentorum, præsertim quando sunt ambigua, aut perperam scripta, latius, largius, & liberalius quàm in contractibus accipiuntur. Ratio præcipua hæc esse videtur: Quod legumlatores æquitatem naturalem secuti, ultimas hominum voluntates favore quodam maximo prosequi solent, ut ea serventur potius quàm pereant: quippè quod cùm testamenti factio publici juris sit *l. 3. ff. qui testam. fac. poss.* meritò etiam Reipublicæ intersit, ut exitum ultima hominis dispositio, vel ex aperta mẽte testatoris, vel justa interpretatione adipiscatur *l. vel negare ff. Quemad. testam. aper.* quod non solum obtinet in ea parte testamenti, quæ caput ejus dicitur, *§. ante heredis Instit. de legat.* h. e. heredis institutione: verum etiam in legatis *l. 3. ff. de tritico vino & oleo leg. l. Titiæ textores 36. in pr. ff. de legat. 1.* Quia voluntas testatoris, cujus generaliter hæc lex meminit, non minus in legatis intervenit, quàm in ipsa institutione *l. cum virum 16. vers. sanè quòniam C. de fidei comm.*

2. Sanè si verba testatoris certa sunt, nõ ambigua, nec de alia mente testatoris constet, tum ante omnia propriæ verborum significationi standum est, interpretationis disputatione omissa *l. ille aut ille 15. ff. de legat. 3.* Quisq; enim id existimatur velle & sentire, quod verbis expressit *arg. l. si alij 19. ff. de*

ff. de usuf. & usu leg. Et, ut Marcellus tradidit, non aliter à significatione verborũ recedere oportet, quàm cum manifestum est, aliud sensisse testatorem *l. non aliter 69. ff de legat. 3.*

3. Rectè autem ait JC. Paulus *in hac lege*, in testamentis. Quia in contractibus, alijsq; vivorum actionibus verba obscura aut ambigua ut sonãt, & quidem secundum promissionem, & contra stipulatorem, cui liberum fuit, verba clarè & latè concipere, interpretemur *l. stipulatio ista 38. §. alteri & l. quicquid astringendæ 99. de verb. oblig.*

AD L. XIIV.

Non videtur cœpisse, qui per exceptionem à petitione removetur.

JCtus Vlpianus *hac lege* non tam regulam, quàm propriam significationem verbi *capere* tradit, quæ apertius demonstratur *in l. aliud est capere 71. de verb. sign.* Capere itaq; hîc propriè est cum effectu aliquid acquirere in dominium, ita ut penes accipientem illud remaneat, nec ipsi invito per exceptionem adimi queat. Et sic non videtur cœpisse (ubi verbum *videtur* non fictionem juris denotat, sed de re verâ accipitur) qui per exceptionem à petitione h. e. actione tam in rem quã in personam, removetur, hoc est, neutiquam acquisivit nec suum fecit, qui actionem quidem intentavit, cui autem opponatur exceptio, quæ eam elidat, Exceptio enim est actionis exclusio; quæ opponi actioni cujusq; rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemvè

deductum est *l. 2. in pr. ff de except.* Hinc creditor in jure is dicitur, qui debitum ejusmodi actione petere potest, quæ exceptione aliqua perpetuâ elidi nequeat *l. creditor 55. ff. de verb. sign.* Sicut & vice versa debitor quis esse desinit, simul ac nactus est justam exceptionem, quam creditori opponere possit *l. Marcellus 66. h. tit.* V. G. Titius promittit Sempronio centum, sed inductus metu justissimo, qui cadit in virum constantissimum, aut dolo malo. Hic actor quando actione intenta. ta centum poscit, reus verò exceptionem metus vel doli mali opponit, eamq; probat, statim intentio actionis eliditur, ita ut nihil actione intentata cōsequatur, sed reus ab ea absolvatur, ac proindè sit, quasi actori actio nūquam competijsset. Nihil n. interest, ipso jure quis actionē non habeat, an per exceptionē infirmetur *l. interest 117. h. t.*

Ad L. XIV.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

HIc ostenditur effectus purè cōceptæ obligationis. De alio genere obligationis conceptæ in diem, vel sub conditione docetur *in l. nihil peti potest h. tit.* Quando igitur pura est obligatio, h. e. quando contractui nulla mentio diei, vel conditionis adjecta est; Veluti, si quis ita stipuletur: Quinq; aureos dare spondes? præsens est actio; proindeq; id de quo sic purè convenit, præsenti die debetur, & peti etiam exigiq; potest: Cessit namq; & venit dies *l. cedere diem 213. de ver. sign.*

sign. Quod autem dictum; ex obligatione pura confestim peti posse, id cum aliquo temperamento temporis intelligendum est: nec enim cum sacco, ut loquitur Paulus *in l. quod dicimus 105. de solut.* creditor debitorem suum adire debet, sed expectabit ejusmodi aliquod spacium temporis, humanitatis causâ, quò solutio ejus quod debetur, commodè fieri possit. Prout temperamentum illud temporis interpretatur Justinianus *in §. ult. Instit. de inutilib. stipulat.* Interdumquoq; 2.
obligationibus puris adjicitur locus, quo casu tacitè tempus inesse solet, quò commodè ad locum istum perveniri possit: Veluti, si quis hic Gryphisvvaldi purè promittat, se Lubecæ daturum: hoc casu, licet obligatio purè contracta sit, antè tamē solutio pecuniæ peti non potest, quàm præterierit ejusmodi tempus, quo promissor Lubecam commodè pervenire possit *§. loca instit. de verb. obligat.* Sic si quis purè dotem puellæ promittat, tempus solutionis tacitè adjectum intelligitur, cùm sc. pubes & viripotens erit *l. qui filium 4. ff. ubi pupillus educari.* Nam ante id tempus nubere non potest *§. 1. Inst. de nupt.* Et dos sine nuptijs esse nequit *l. 3. ff. de jure dot.*

AD L. XV.

Is qui actionem habet, ad rem recuperandam ipsam rem habere videtur.

VErbum *Videtur* in *hac lege*, nō de re ipsa *ut supra l. 13.* accipiendum est; sed juris fictionem denotat. Qui itaq; actionem habet ad rem recu-
peran-

perandam, rem ipsam habere videtur, h. e. ex intellectu & censurâ juris quodammodò habere fingitur seu intelligitur, quia actionis remedio recuperare eam potest. At si veritatem ipsam spectamus reverâ ac propriè minus est actionem habere, quàm rem, uti Pomponius ait *in l. minus est res h. tit.* multa enim accidere possunt, ut licet quis actionem habeat, rem petitam tamen non consequatur; Veluti si debitor non sit solvendo, sive inops sit, Undè & JCtus dicit; Eum nullam videri actionem habere, cui propter inopium adversarij inanis actio est *l. nam 15. 6. ff de dolo malo.* Quin & sæpè actor quoq; intentionem suam probare nequit: atq; ita non jus sed probatio deficit *l. duo sunt Titij ff. de testam. tut.* quo casu, ubi actor intentionem suam non probat, reus, etsi nihil præstiterit, absolvitur *l. qui accusare 4. C. de edendo.* Et hùc pertinet quod vulgo dici solet: litis eventus est dubius & incertus *l. quod debetur 55. ff. de pecul.*

AD L. XVI.

Imaginaria venditio non est, precio accedente.

1. Venditionum duo sunt genera: quorum aliæ veræ sunt, quæ sc. pretio justo interveniente fiunt: aliæ imaginariæ, in quibus nullum intervenit pretium (quippe quod numeratio pretij sit præcipuum requisitū emtionis venditionis) aut, dicis causa, valdè exiguum: Sicut quæ uno nummo olim fiebant, qui quasi pretij loco dabatur.

Vocatur

Vocatur autem imaginaria venditio, quod imaginem tantum & umbram venditionis habet, veritatem non habet: adeoq; hujusmodi venditio pro non facta est, seu venditio est nulla, nulliusq; momenti. Semper enim plus valet quod agitur, quàm quod simulatè concipitur. Quod si itaq; res longè majoris pretij uno nummo vendatur, imaginaria venditio est; quia nummus non est pretium; sed opponitur pretium nummo *l. si quis 10. 5. fin. ff de acquir. poss.* Adeoq; si uno nummo 2. res majoris pretij venditur, non est venditio, sed donationis vim habet, & valet quidem donatio, quamvis emptio non valeat *l. erat in fin.* C. *de contrah. emt.* Nisi fiat in fraudem potius; utputa, si venditio donationis caussa fiat inter virum & uxorem: tum enim nihil agitur *l. si sponsus sponsa & l. si vir uxori 52. de donat. inter vir. & ux.* Quoniam donationes inter virum & uxorem prohibitæ sunt, ne mutuo amore invicem conjuges spolientur *l. 1. & tot. tit. de donat. int. vir. & uxor.* Intelligenda itaq; *hæc lex* est de *vero pretio*, aut quod à vero pretio non longè abest, non verò accipienda de solutione unius nummi *d. l. si quis 10. in fin. de acquir. poss. l. si quis 46. ff. locati* Pinell. *ad l. 2. p. 1. cap. 2. n. 28. & seq.* C. *de resc. vendit.* Adeoq; omne id quod simulatum & imaginarium est, veluti veritati inimicum & sub dolum rejicitur *l. contractus ff. de obligat.*

AD L. XVII.

Cum tempus in testamento adjicitur, credendum

dum est pro herede adjectum; nisi alia mens fuerit testatoris, sicut in stipulationibus promissoriis gratia tempus adjicitur.

1. IN testamentis voluntas & mens testatoris præcipuè spectanda est *l. pater 101. de condit. & demonstr.* Hinc testatores, expediendæ suæ voluntatis causâ, tempus adjicere solent. Atq; ita fieri potest, ut cùm tempus ad solvendum in testamento est adjectum, legatarij caussâ tempus differatur. Cæterùm si de voluntate & mente testatoris defuncti non constet, quatenus temporis æstimatio in dubio fieri debeat, in *hac lege* docetur. Quemadmodũ igitur in stipulationibus adjectio temporis pro Reo est *l. eum qui Calendis 41. §. 2. ff. de verb. obligat. h. l. nostr.* ita tempus solvendi legati in testamento adjectum, pro herede censetur adjectum, sive in favorem heredis: unde utilitas heredis, in casu *legis nostræ* animadvertitur, quod sc. in ipsius heredis arbitrio sit, utrumne ante illud tempus, an verò in ipso tempore præfixo legatum solvere, medijq; temporis fructus lucrari velit *l. pen. ff. de opt. vel elect. leg. l. quod his verbis 83. in pr. de legat. 3.* nisi alia mens fuerit testatoris *h. l. nost.* Ratio porrò hujus regulæ est; quod cum in multis heres vice defuncti gravetur, meritò in aliquo levari debuit *arg. l. eum qui ff. de jurejur.* siquidem regulariter omnia quæ testamentis sine die, vel conditione adscribuntur, ex die aditæ hereditatis præstantur *l. si patroni 55. §. 2. ff. ad SC. Trebell. l. 7 ff. de testam. tut.*

Cæterum

Cæterum illud tempus in testamento præfixum heres omninò observare debet, nec labi patiatur: quippè quod lapsu temporis præfixi mora contrahatur, quæ hæredi incommoda est *l. magno* 12. C. *de contrah. & commit. stipulat.* Quod de herede statutum est, idem ad promissorem quoquè Ulpianus hoc loco accommodat, his verbis: *Sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus adjicitur*, h.e. quando in stipulationibus tempus adjicitur, id semper promissoris favore adjectum intelligitur; ita ut promissor, veluti debitor, non possit cogi ad solvendum quod promisit, antequam tempus adjectum, sive dies adjectus venit, item antequam totus dies præterierit, *sup. d. l.* 14. Ita & in testamentis, cum non constat de alia mente & voluntate testatoris, tempus adjectum in testamento, in favorem heredis pronunciamus. Quo fit, ut qui testamento damnatus est, aliquo anno quid alicui dare, is id retinere possit usq; ad ejus anni finem: quia differendæ obligationis causa tempus appositum intelligitur *l. quod quis* 49. *ff. de obligat. & act.* Et interim fructus medij temporis erunt obligati debitori, sive ex testamento debitor sit, sive ex contractu.

AD L. XIIX.

Quæ legata mortuis nobis ad hæredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu acquirimus: aliter atq; quod stipulati sumus: nam & sub conditione stipulantes, omnimodò eis acquirimus, etiamsi liberatis nobis potestate domini conditio existat.

ditionem filius aut servus moriatur, patri aut domino non acquiri.

Sequitur in *hac lege:* Aliter quàm quod stipulati sumus: *nam non solum purè & in diem, sed & sub conditione stipulantes omnimodò eis acquirimus, etjamsi liberatis nobis, potestate domini, conditio existat.* h. e Distinctio illa quæ in legatis obtinet, in stipulationibus non habet locum. Sive enim stipulamur purè, sive in diem, sive sub conditione; id quod in stipulationem deductum est, semper ad hæredē transit, etiā in cōditionalibus stipulationibus existēte cōditione. Nā pendente adhùc cōditione, sive ex stipulatione cōditionali, spes est debitum iri. Et propterea mortuo stipulatore spes quoq; ejus quod sub cōditione promissū est, in hæredem transmittitur *§. ex conditionali Instit. de verb. oblig.* Et ob id, cùm quis sub aliqua conditione stipulatus fuerit, licet ante conditionem decesserit, postea existente conditione hæres ejus agere potest *§. cum quis sub aliqua ff. de inutilib. stipulat* Et hinc consequenter sequitur, quod in stipulationibus sive puris, sive in diem, sive sub conditione factis, omninò ijs acquirimus etiamsi liberatis nobis potestate domini conditio existat *h. l. nost.* hoc est, in stipulationibus conditionalibus servi suis dominis acquirunt, etiamsi impleta conditione è potestate eorum sint liberati; sive etiamsi tum temporis quo conditio existit, non amplius sint in potestate domini, sed ex illa dimissi. Ratio utriusq; juris diversi exinde cognoscī 2

ſci poteſt. Teſtator nimirùm ex eo quod ſub conditione legatum reliquit, ita demum illud legatario delatum voluiſſe intelligitur, *ſi conditio exiſtat:* ſiquidem hæredis potiorem quàm legatarij rationem habuiſſe cenſetur *l. unum ex fiſtula 67. §. ſi rem ff. de legat. 1.* cum ſuo magis quàm legatarij hæredi (quippe quem nec reſpexit) proſpectum voluiſſe teſtator præſumatur: At verò ſtipulator non ſibi tantum, ſed poſteris etiam ac ſucceſſoribus ſuis conſultum voluiſſe exiſtimatur *l. ſi pactum 9. in fin. ff. de probat.* atq; hinc ab initio ſtipulationem valere voluit, etiamſi conditio adjecta nec dum extiterit *arg. l. ſi Stichum 16. §. 1. ff. de verb. oblig.* Et hæc eſt ſententia verborum *hujus legis.*

3. Vbi notandum eſt: id quod Pomponius de ſervis, qui in poteſtate dominorum ſunt, tradit, idem etiam de filijs qui in poteſtate parentum ſũt, accipiendum eſſe. Nam ſi filiusfamilias ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit, quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus, *l. ſi filiusfamilias 78. in pr. ff. de verb. oblig.* Hæc nimirum eſt ratio, cur aliud ſit ſtatutum in ſtipulationibus cõditionalibus, & aliud in legatis ſub conditione relictis, ſc. quod in ſtipulationibus ſpectamus tempus non conditionis evenientis, ſed ipſius interpoſiti contractus; & licet ſint ſtipulationes conditionales, vires tamen accipiunt à tempore contractus, ut ſc. ſtatim res debeatur

beatur, ſed petitio tantùm differatur *l. non omne 144. §. fin. eod.* In legatis autem ſpectamus tempus exiſtentis conditionis à quo legatū vires accipit. *Moller. lib. 5. semeſt. cap. 41.*

Accedit adhuc alia ratio: quod in ſtipulationibus alijsq; contractibus, conditio retrotrahatur ad tempus quo interponuntur, ut idem ſit, atq; ſi tum interveniſſet *Barth. ad d. l. ſi filiusfamilias 78. de verb. obligat.* Sed in legatis non retrotrahitur conditio ad tempus vel teſtamenti, vel mortis teſtatoris, niſi juris neceſſitate quadam conditio legatis inſit. *l. 3. de legat. 1.* 4.

Et hujus rei etiam hodiè de jure civili magna 5. poteſt eſſe utilitas: quia ſecundum jus civile, bonorum adventitiorum à filiofamilias antè emācipationem acquiſitorum uſumfructum pater per totam vitam retinet, quandocunq; etiam conditione eveniente: quia ex ſtipulatione conditionali, patri jus & actio ſemper acquiratur *d. l. ſi filiusfamilias 78. in pr.* Sin autèm filiofamilias aliquid ſub conditione ſit legatum, tunc inſpicitur tempus conditionis evenientis, ut ſi tunc filius ſit adhuc in poteſtate, patri datur uſusfructus: Si autem poteſtate exierit, tunc totum legatum, non tantum quoad proprietatem, ſed etiam quoad uſumfructum filio acquiritur *Scipio Gentilis tract. de bonis maternis cap. 7.*

AD L. XIX.

Qui cum aliquo contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus. Hæredi autem

hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatarijs contrahit.

IN *hac lege* duo præcipua themata dantur. *Primũ:* Quod qui cõtrahit, regulariter propterea quod ejus cũ quo cõtraxit, conditionẽ ignorârit, excusare aut juvare se nequeat. *Alterum* est, quod hæres hac ignorantia juvare se possit.

1. Circa primum sciendum est, conditionem hic accipi pro personæ qualitate, puta, an pubes sit, an impubes minor xxv. annis, an major; Paterfamilias an filiusfamilias, liber an servus, ingenuus an libertinus, an prodigus, an furiosus. Qui itaq; cum alio contrahere vult, ante omnia de conditione & qualitate ejus, cum quo contrahit, inquirat, num etiam talis sit persona, ut plenam suarum rerum habeat administrationem. Et quidem Ulpianus *in h. l.* duo illa conjungit: Qui cũ aliquo contrahit, *vel est, vel debet esse non ignarus* conditionis ejus cum quo contrahit. Hæc duo enim sunt paria, & æquiparantur in jure *l. si duo sunt heredes 8. de acq hered. l. quod se 20 ff. de reb. cred. si cert. pet.* Et ideò si quis cum minus idoneo, veluti pupillo, minore, furioso, prodigo, cui bonis interdictum est, alienæ potestati subjecto contrahat, nõ facilè excusabitur, si se conditionem ignorasse dixerit; adeoq; si ex eo contractu damnum sentit, suæ facilitati id debeat imputare, non alijs *c. damnum de reg. jur. in 6. & l. quod quis ex culpa 203. h tit.* Exemplum est *in l. pen. ff. ad SC. Maced.* ubi is qui filiofamilias pecuniam dedit mutuam, quam ille postmodum dilapidavit, exceptionem

SCti

SCti Macedoniani sibi mutuum repetenti oppositam excludere sub hoc prætextu non potest, quod filiumfamilias eum esse nesciverat, cum in conditionem ejus diligentius inquirere debuisset. Sic quoq; qui rem furtivam emit, eandem domino restituere cogitur, etiam non restituto pretio. Neq; est quod de domino hoc casu queratur, cum cautius mercari discendum ipsi fuisset *l. incivilem C. de furt.* Sic qui fidejussorem minus idoneum semel accepit, eundem reprobare postea nō potest: siquidem prius facultates ejus diligentius explorare debuisset *l. 3 in fin. ff. de fidejuss.*

Hæc autem regula non obtinet in matrimonialibus. Qui enim contrahit, facilè inquirere potest conditionem ejus cum quo contrahit, utrum sit pupillus, filiusfamilias, vel prodigus. Quod si non fecerit, hoc sibi imputet. At secus est in muliere, quæ pro virgine se venditat, cum tamen sit corrupta. Hanc omnes pro virgine habent Ejus igitur conditio inquiri non debet, quia præsumptio est, quod sit honesta. 2.

In altero themate traditur exceptio regulæ his verbis: *Hæredi autem hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatarijs.* hoc est, Quidquid facit, non facit ultrò, sed jussu defuncti, qui legatario legatum ab herede præstandum relinquit, seu ei legatum legatario solvere jussit. Et ignorantia hic justa & probabilis est, cum heres in locum alterius, defuncti sc. succedat: qui enim succedunt in locum alterius, justam causam habent ignorātiæ 3.

l.qui in alterius 42.h.tit. Heredum itaq; potior hoc casu habetur ratio quàm contrahentium. Vnde & liberatur heres, si servo, quem liberum esse credit, legatum solvat, licet postea illud servi incuria deperditum sit, priusquam in manus domini pervenerit *Cujac. 7. obs. 37.*

AD §. I.

Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

4. Regula juris est; dolo facere eum, qui petit id quod reddere tenetur *l.in condemnatione 173.§.ult.h tit.* Si quis ergò ab herede petit consultò deleta in testamento, fortè quia inimicitiæ inter defunctum testatorem & legatarium inciderunt *l.3.l.seq.ff.de adimẽd.legat.* exceptione doli ab herede repellitur, quia hic voluntas testatoris refragatur *l.1.§ sed consultò ff.de his quæ in testam.deb.* A contrario sensu, si quis petit quædam inconsultò deleta, huic exceptio doli non obstat; quia voluntas testatoris refragatur *d. l. 1. § sed consultò.* Et hoc est quod Vlpianus *in hoc* §. tradit: *Non solet exceptio doli nocere his, quibus testatoris voluntas non refragatur*: tunc enim peti res potest, etiamsi aliquando restituenda illa sit *arg. legata 41.ff. de condit.& demonstrat.* Ejusq; insigne exemplum proponitur in princ. *l. 5. de doli mali & metus except. Philipp. Matth. ad h. l. nostram n. 3. & seq.*

AD L. XX.

Quotiens dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum sit.

Ratio

Ratio regulæ eſt ſatis evidens; favor ſc. quo jura libertates proſequuntur *l. libertas 164. h. tit. l. in obſcuro 179. h. l. pœnale. 32. § ult. ff. ad* L. Falcid. Dubia autem eſt interpretatio, quæ eſt ambigua, h. e. quæ plures ſententias capere poteſt. Idem eſt ſi obſcura eſt interpretatio, h. e. ubi ferè nihil certi concludi poteſt, quod ſit ſtatuendum. Quando itaq; cauſa liberalis movetur, altero ſe liberum aſſerente, altero autem ſervitutem prætendente, eoq; res devenit, ut conſtare non poſſit, adeoq; dubia interpretatio ſit, liberne an ſervus ille pronunciandus ſit, eò quod neuter ſuam intentionē ſatis probârit: hoc caſu ſecundum libertatem reſponderi jura volunt, ut Pomponius *hac lege* refert. Cæterum quamvis ſervitus illa dura, quatenus olim in uſu fuerit, hodiè ſublata eſt: attamen hodie adhuc quoq; liberalium cauſarū magnus eſt uſus: ſi fortè controverſia incidat inter principes, cæteroſq; dominos, & inter ruſticos, colonos, adſcriptitios & proprios homines, ut ſc. illa nō ſolum utiliter agitari, ſed decidi etiam poſſit commodiſſimè, ex his quæ de cauſis liberalibus in jure noſtro prodita ſunt *Oldend. claſ. 3. act. 9.*

AD L. XXI.

Non debet, cui plus licet, quod minus eſt, non licere.

FRequentiſſimus in jure modus argumentandi eſt, qui fit à majori ad minus; quem hac regula confirmat Ulpianus. Et quidem licet à majori ad minus argumentari affirmativè, nō negativè; 1.

ſeu argumenta à majori ad minus valent ad adfirmandum, non ad negandum: ut cui id quod plus eſt licet, utiq; liceat, utiq; & quod minus eſt. Exemplum hujus regulæ ponit gloſſa *in l. nec in ea 22. ff. ad L. Jul. de adult.* ubi cum occidere adulterum ſit patri permiſſum, ſanè vetitum non videtur, quin verberibus contumelijsve eum afficiat *d. l. nec in ea.* Exemplum regulæ quoq; rectè proponitur in filiofamilias milite, qui cum teſtari de caſtrenſi peculio poſſit *l. ſi a milite 29. in fin. ff. de teſtam. milit.* poterit ſanè & mortis cauſa donare *l Marcellus 15 ff. de mortis cauſ. donat.* Sic qui poteſt alienare, quod plus eſt, poterit & cōſentire alienationi, quod minus eſt *l. cum quis 165. h tit.* ſic qui invitis aliquibus alienare poteſt, multò magis ijsdem & ignorantibus & abſentibus alienare poteſt *l. qui poteſt 26. h. tit.* Nam plus eſt invito aliquo alienare poſſe, quàm abſente & ignorante: quoniam abſens forſitan alienationi contradicturus non fuiſſet *l. aliquando § ult. ff. ad SC. Vellei.* Sic rectè argumentamur; cui jus donandi eſt, eidem & vendendi & concedendi jus eſt *l. cujus 163 h. tit.*

2. Et ſic plerumq; argumētamur à majori ad minus, & argumenta ad adfirmandum valent. Ratio regulæ eſt in abſurditate, etiam à contrario ſenſu: Ne dicanus, licere quod plus eſt, cui non licet, quod minus eſt *l. in eo quod plus eſt 110. h. tit.* Plerunq; dixi, argumenta à majori ad minus adfirmativè valere. Quia interdum hæc regula fallit.

Sic

Sic namq; de præside Provinciæ responsum est, qui cum jus gladij & in metallum damnandi jus habeat, quod est majus *l. illicitas §. universas ff. de offic. præs.* & tamen in Insulam deportare non potest *l. inter pœnas ff. de interd. & releg.* quia, ut rectè subjicit JC. Ulpianus, & jus deportandi ei datum non est *l. 1. § à præfectis ff. de legat. 3. l. 2. § 1. ibi, præsidem deportare non posse, nulla dubitatio est ff. de pœn.* Ratio hujus decisionis est, quod nempè magistratui singula, quæ ad merum imperium pertinent, nisi specialiter lege deferātur, jure magistratus non competant *l. aut damnum 8. §. 1. de pœn.* Cum igitur præsidi Provinciæ jus gladij atq; in metallum damnandi duntaxat nominatim cō-cessum sit, ad jus deportandi certè, licet minus hoc sit, extendi ista potestas non potest *d. l. aut damnū.* Sic Decurio donare res suas potest sine decreti interpositione, sed non vendere *l. fin. C. de præd. decur. lib. 10. Nov. 38.* Quia faciliores sumus in vendendo, quàm donando. Sic mulier quoq; omni genere dona sua alienare potest, sed fidejubere pro aliquo nequit *l. 4. ff. ad SC. Vell. l. 2. sup. h. tit.* Lex enim voluit prospicere facilitati mulierum, quæ plerunq; adversus propria commoda laborant *l. si pater in fin. C. de sponsalib.* ne fidejussionis promptitudo eis præjudicet. Et ita SCto Vellejano. succurritur mulieri obliganti, nō etiā donāti, *l. 1. & 2. ff. ad SC. Vellej.* Quia facilius se obligat, quā donat.

Vice versâ, cui quod minus est, non licet, ei nec licebit quod majus est. Ita enim à minori ad ma- 3

jus argumentamur negativè, & argumenta à minori ad majus, valent ad negandū, non ad adfirmandum. Sic rectè argumentamur: Non dignus hic est ordine inferiori: Ergò multò minus dignus est majori sive superiori ordine *l. 4. ff. de senatorib.* Item cui honore uno interdictum est, non tantū eum honorem petere non potest, verùm eos quoquè qui eo honore majores sunt. Est enim perquā ridiculum, eum qui minoribus pœnæ causâ prohibitus sit, ad majores aspirare *l. relegatorum 7. §. fin. ff. de interd. & releg.*

AD L. XXII.

In personam servilem nulla cadit obligatio.

1. IN personam servilem, h. e. in servum, nulla cadit obligatio, puta ex contractu; adeoq; in servum nulla cadit obligatio civilis, *de qua Instit. tit. de obligat.* quæ est vel civilis & legitima, vel honoraria ac prætoria, quæ videlicet juris necessitate quempiam ad quid dādum vel faciendum adstringit, vel quæ producat actionem: & ob id etjam cum servis nulla actio est *l. cum servo 107. h. tit.* Siquidem nasci actio nulla potest, ubi nulla obligatio subest *§. pen. ubi Wesenb. Instit. de noxal. act.* At verò naturalis obligatio in servum, perinde ac in hominem liberum cadit: quia jure naturali omnes homines liberi atq; æquales censentur *l. quod attinet h. tit. § jus gentium Instit. de jure na-*
2. *tur. gent. & civ.* Sic quoq; servi ex delictis naturaliter, imò civiliter quoq; obligantur, non minus quàm liberi homines, adeò ut si manumittantur, etiam

etiam obligati remaneant *l. servi ff. de oblig. & act.* Jura enim à quovis exigunt, ne quid delinquant. Non tamē servi conveniuntur eo nomine, verùm adversus dominos ipsorum actione noxali ob delicta ejusmodi agetur *l. 1. & tot. tit. de noxalib. act.* Sanè si manumissus est servus qui deliquit, tunc non cum domino, sed cum ipso manumisso patrati delicti nomine agetur, &, ut dicitur, noxa caput sequetur § *omnis autem Instit. de noxalib. act.*

AD § I.

Generaliter probandum est, ubicunq; in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium domini vel procuratoris, ejus conditio pro boni viri arbitrio non habenda esse.

His verbis generaliter docet Ulpianus, si in cōtractibus bonæ fidei, conditio in alterius contrahentium vel procuratoris ejus arbitrium conferatur, quatenus sc. arbitratus fuerit pretium vel mercedem, tunc hoc non pro libero arbitrio, vel mera voluntate ipsius contrahentis vel procuratoris ejus habendum, quia obligatio non ex nostra voluntate dependet, sed propriis viribus subsistit *l. obligationes 27. de verb. oblig.* verùm fictione juris perindè esse, ac si sit in arbitrium boni viri collata conditio. Is itaq; in cujus arbitrium quid confertur, ex sententia Ulpiani *in hac l. nost.* boni viri judicium in arbitrando adhibere debet. Etenim bona fides exigit, ut tale arbitrium præstetur, quale bono viro cōvenit *l. si in lege 24. ff. locati* 3.

Quod ita obtinet, ut ait Ulpianus *in hac lege*, in bonæ

bonæ fidei judicijs. In his enim judicium ad boni viri arbitrium redigi potest, etsi nominatim persona sit comprehensa, cujus arbitratu fiat. Nã in strictis judicijs secus est, in quibus non solet recedi à verborum significatione; & consequenter nec à persona illis nominatim comprehensa. Et sic non valet stipulatio in rei promittendi arbitrium collata conditio *l. stipulatio non valet 17. de verb. oblig.* Et nulla promissio potest consistere, quæ ex voluntate promittentis statum capiat, *l. à Titio 108. §. fin. eod.*

Ad L. XXIII.

Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam; dolum tantùm, depositum & precarium: dolum & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutela, negotia gesta, in his quidem & diligentiam, societas, & rerum communio, & dolum & culpam recipit. Sed hæc ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus vel minus, in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initiò convenit, legem enim contractus dedit, excepto eo quod Celsus putat, non valere si convenerit, ne dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est: & ita utimur. Animalium verò casus, mortes, quæq; sine culpa accedunt, fugæ servorum qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præstantur.

1. HÆc lex commodè dividi potest in quatuor membra. *In principio* enim docetur, quid ex communi & usitatâ naturâ contractum sibi invicem præstare debeant, qui contraxerunt, etiamsi nihil ab eis expressum, vel linguâ nuncupatum sit.

sit. *Deinde* adfertur exceptio *in secundo membro*, quod incipit à verbis, *sed hæc ita*: Nisi illa communis & usitata natura contractuum pactis conventis ab initio nonnihil fuerit immutata. *In tertio membro* quod incipit à verbis, *Excepto eo*, traditur, quænam pacta jure non subsistunt, sivè quæ subsistunt. *In quarto*, incipiente à verbo *animalium* enumerantur pleræq; species casuum fortuitorũ, quos quidem in contractibus nemo præstare cogitur, nisi etiam illorum præstationem ultrò quis in se receperit.

Quod ad primum membrum attinet, ait Ulpianus; *contractus quidem dolum malum duntaxat recipiunt, quidam dolum & culpam*, h. e. sunt ex contractibus aliqui, in quibus præstatur non tantùm quod dolo malo commissum est, verùm etiam culpa. Adjicit quoq; in nonnullis diligentiam desiderari, h. e. præstari non tantùm quod dolo malo & culpâ latâ & levi, verùm etiam levissimâ commissum est. Præstatur itaq; dolus vel culpa, ut pẽsetur illud damnum, quod contrahentium alter ex alterius dolo sive culpa fecisset. Nam præstare dolum vel culpam hic dicitur, non qui dolum sive culpam committit, sed qui damnum dolo culpave sua datum resarcit; ut sit metonimia caussæ pro effectu, sive id quod ãtecedit, pro eo quod sequitur, Etenim ex dolo sive culpa, ceu causa, damnum alteri utplurimùm adfertur. Adeoq; præstare hic idem valet, quàm recipere in se aliquid luendum, vel etiam cogi aliquid luere, seu 2.

resar-

resarcire, seu emendare damnum ex ea re datum vel exortum: Germani dicunt, gut für etwas seyn/ oder gelten. Item für etwas hafften/oder verbunden und verpflichtet seyn. Æquipollent etiam istæ formulæ: In contractum venit dolus, vel custodia: Item contractus recipit dolum, culpam, diligentiam: non recipit casum *h. l. n.* Item teneri aliquem de dolo, de culpâ, de casu: Item de eo quanti vel quatenus intersit *l. ad comparandas 16. C. Mand.*

Cum autem *hæc lex* non possit intelligi, nisi prius quid sit dolus vel culpa, quidq; invicem differant, sciatur; de ijs breviter videndum est.

3. Rectè verò dicit Ulpianus, *contractus quidam recipiunt dolum malum.* Non quasi perpetuo epitheto; Sed per διαστολὴν sive per divisionem, nimirum, quia etiam est bonus dolus. *Dolus malus* est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendumve alterum adhibita *l. 1. §. 1. ff. de dolo malo.* At *dolum bonum* veteres pro solertia acceperunt, maximè si adversus hostem latronemve quis machinetur *d. l. 1. §. non fuit autem ff. de dolo.*

4. Dolus distinguitur à culpa, animo & proposito. Qui enim aliquid committit vel admittit hoc proposito, & in hunc finem, ut alterum lædat, fallat, decipiat; is in dolo esse dicitur *d. l. 1. & l. fraudis 79. h.* In culpa autem est, qui alium quidem lædit, sed sine dolo malo *l. culpa 36. l. imperitia 132. h. tit.* Atq; ita definitur *culpa*, quod sit læsio quædam

dam rebus alienis illata, per negligentiam & imprudentiam, *vel faciendo* quod fieri non debet, *vel omittendo sive negligendo* quod fieri oportet; quæ læsio potuisset humanitùs præcaveri. Duplex itaq; est culpa; Una est posita *in faciendo*; veluti si quis per imprudentiam frangat, quod frangendum non erat; vel jaculatus feram, hominē trajiciat; altera est *in non faciendo* sive negligendo, veluti si hominem ægrotum quis negligat, vel agrum non colendo corrumpi sinat *Cujat. lib. 19. 19. Obs. 24.* Additum est quoq;, læsionem illam potuisse præcaveri humanitùs, ut distingueretur culpa à casu fortuito sive vi majore: huic enim humana infirmitas resistere non potest *l. 1. § & ille ff. de oblig. & act.*

5. Cæterùm cum culpa sive negligentia opponatur diligentiæ prætermissæ debitæ: exindè sequitur, tot esse gradus culpæ, sive negligentiæ, quot sunt gradus diligentiæ. Est autem *diligentia alia vulgaris, sive minima*, quæ non requirit curiosum & industrium hominem, sed quam natura ultrò cuivis homini regulariter suppeditat, & quæ est innata cuivis, huic opponitur *culpa lata* sive latior: *Alia est diligentia boni patrisfamilias*, sive media & mediocris diligentia; cui opponitur *culpa levis*: *Alia deniq; est diligentissima* & scrupulosa: cui opponitur *culpa levissima*, vel, uti desidia sive negligentia, alia est enormis, ac magna, alia mediocris sive remissior, alia modica sive minima: Sic & culpa alia est lata, alia levis, alia levissima.

Es

Et hi tres gradus culpæ simul proponuntur *in l. cum res 47. § culpa de legat. 1.* ubi culpa, dolo proxima, est lata culpa, & per diligentiam ex opposito significatur culpa levissima *Duar. in cap. ult. tractatus de commodato, & in l. si mora 9. ff. solut. matrim.* Et hos tres gradus agnoscit quoq; Baldus *in l. ut vim 3. num. 1. de just. & jure.*

6. Lata culpa itaq; (quæ aliquando etiam latior vocatur, quia sc. latior est quàm levis) definitur, quod sit vulgaris ac consuetæ diligentiæ, quamq; hominũ natura desiderat, omissio *l. quod Nerva ff. depositi.* Undè in lata culpa esse dicitur, qui eam diligentiam non præstat, quam homo etiã ignavus adhibere solet: aut si res alienas suæ fidei cõmissas, ea diligentia non curet, quâ suas curare solet *d. l. quod Nerva* Vel si id non intelligat, vel id ignoret, quod omnes homines sanæ mentis intelligunt *l. cedere diemi 213. § ult. l. latæ 227. in pr. de verb. sign.* h. e. si quis fecerit aliquid, ex quo periculum certò imminere omnes sani homines intelligunt, sive sciat id periculũ subesse sive ignoret: hoc ipso enim in latam culpam incidit, quod noluit scire, aut etiam simulat se ignorare id, quod omnes homines norunt. Quam ob causam quoq; hæc culpa lata, dicitur dolus *in d. l. quod Nerva*, siquidẽ dolo proxima, dolũ repræsentat. V. G. Ut si quis ignoret id quod loco publico est affixum sive proscriptum, aut voce Præconis proclamatũ, ut omnibus innotescere in illa civitate & regione *l. sed si pupillus 11. §. proscribere ff. de instit. act.*

Item

Item si quis mortiferè vulnerato medicum non adhibeat curandi causâ; vel malum imperitumq́; medicum adhibeat *l. qui occidit § ult. ff ad L. Aquil.* Item si commodatarius rem sibi cōmodatam relinquat in ædibus, & abeat apertâ januâ, domoq́; incustodita, quam alius furto surripiat *Schrad. ad pr. Instit. Quib. mod. re contrah. oblig.* Item si magister navis in flumen immiserit navem gubernatore destituto *l. itē queritur 13. § si magister ff. locati.*

Neq́; tamen in omnibus causis verum est, latā culpam repræsentare dolum, eosdemq́; juris effectus habere; sed ijs saltem, quæ respiciunt contractus, vel quasi *l. quæsitum 8. §. eum quoq́; ff. de præcario.* Idemq́; in quasi delictis receptum est *§. 1. Instit. de oblig. ex quasi del.* Et nisi in contractibus, & quasi delictis hoc ita receptum esset, quivis facilè ignorantiam suæ malitiæ ac protervitati prætenderet *Connan. lib. 7. comment. cap. 4. num. 7.* At in cæteris delictis veris & criminibus, lata culpa non æquiparatur dolo, neq́; etiam perindè ut dolus punitur *l. in lege 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. in furti 50. §. ult. de furt. l. 3. §. de injur.* Ubicunq́; enim agitur de pœna corpori infligenda, ibi necesse est ut dolus verus intervenerit: neq́; sufficit errore vel ignorantia quamvis crassissima quippiam esse factum. Et in criminalibus causis verba non abusivè, sed propriè, nec civiliter, sed naturaliter accipienda sunt. Quâ de causâ is, qui homicidij quempiam accusat, intentionem suam probasse non dicitur, etiamsi latam culpam in eo, quem accusat, 7.

fuisse probaverit *arg. l. illud 13. in pr. ff. de liber. caus. Jason in l. 1. num. 33. de legat. 1.*

8. Culpa levis dicitur, non ratione quantitatis damni quod intulit, si nimirum hoc sit leve & modicum, ut tūc levis culpa censeatur; cum possit etiam aliquando ex levi culpa grande damnum oriri: Sed ideò potius, quia absit propositum nocendi, & adsit illæsa conscientia, quæ errores & defectus quamlibet magnos sæpè excusat. Ad rem itaq; quod attinet, *culpa levis est* omissio mediocris diligentiæ debitæ in alienis rebus: ut cum quis mediocrem diligentiam debet, id est, quam mediocris paterfamilias, neq; socors, neq; diligentissimus, sed attentus & diligens suis rebus adhibet, nec eam præstat, sed minimam duntaxat *l. mulier 32. § sed enim ff. ad SC. Trebel.* vel *levis culpa* est: quādo quis rem alienam eâ diligentiâ non curat, quâ cæteri diligentes patresfamilias suas curare solent, tametsi aliàs in rebus suis minimè sit diligētior: Veluti si quis rem pignori sibi datā à murium corrosione non custodiat *Alciat. un l. latæ n. 5. de verb. sign. per l. ea igitur 14. ff. de pignorat. act.* Unde etiam Ulpianus hanc culpam levem, appellat negligentiam rebus suis consvetam *l. mulier. 22. § sed enim ff. ad SC. Trebell.*

9. Et hæc culpa propriè est culpa. Neq; enim dolo, neq; periculo sive casui fortuito proxima est: & ideò frequenter ubicunq; culpa simpliciter sine adjectione sive epitheto posito reperitur, toties est intelligenda culpa levis, quæ multum

impru-

imprudentiæ, parum vel nihil fraudis continet, & inde à dolo distinguitur *l. 3. § 1. ff. Nautæ caup. l. quod si nolit 31. § culpa ff. de ædil. edict. l. in venditione 8. § pen. ubi gl. ff. de reb. auctor jud. poßid.*

10. Porrò etiam in non faciendo, æquè ac in faciendo culpa consistit: atq; tunc culpæ adnumeratur etiam imperitia, ita ut dans damnum ex imperitia, ratione illius suæ professionis, illud resarcire teneatur *l. imperitia 132. h. tit.* quia sc. ejus rei imperitus quis est, quam excellentes quoq; ejus rei & artis professores & artifices tenent & intelligunt *Alciat. in l. cedere diem 213. in fin. de V. S.* Exemplum est *in l. illicitas § sicuti ff. de offic. præs.* ubi Ulpianus ait, Medico imputari debere, quod per imperitiam commiserit; nempe in curando homine: de cujus pœna tractat Hegius *qu. 26. p. 2.*

11. Sic Assessor vel Advocatus ex juris imperitia tenetur, si malum consilium vel responsum judici vel alteri dederit, vel fovens justam causam, ex imperitia tamen sua succumbit *l. 2. ubi Dd. Quod quisq; jur.* Tenetur itidem artifex, qui gemmam, quam acceperat auro includendam aut sculpendam fregerit *l. item quæritur. 13 § si gemma ff. locati.* Connumeratur item huic culpæ nimia præceptoris in negligentem discipulum sævitia, cum ei levis tantum castigatio sit concessa *l. 5. & 6. ff. ad L. Aquil. l. item 13. § Julianus ff. locati.* Quin & infirmitas culpæ adnumeratur, cum affectare non debeat quis, in quo intelligit vel intelligere debet, infirmitatem suam alicui periculosam & damno-

ſam futuram *l. idem mulierem ff. ad L. Aqu.* Sic quoq; Notarius officio ſuo imperitè functus, fortè quia inſtrumento appellationis non inſeruit ſchedulã appellationis, aut non addidit ſignum ſui Notariatus, omiſitq; diem; damnum exinde illatum reſarcire tenetur *Dynus in l. quæſit. ff. de optione leg.*

12 Culpa leviſſima eſt prætermiſſio ſummæ diligentiæ debitæ: ut cum eam diligentiam, quam diligentiſſimus quiſq; & optimus paterfamilias ſuis rebus adhibere ſolet, quis debet, nec tamen eam præſtat *l. in rebus 18. in pr. ff. commod. l. 1. §. & ille. verſ. is qui utendum ff. de oblig. & act.* Quocirca qui exactiſſimam diligentiam, quæ, ut dixi, leviſſimæ culpæ opponitur, cuſtodiendæ rei alienæ præſtare compellitur, ei non ſufficit, eandem diligentiam adhibere, quam in ſuis proprijs rebus adhibet, ſi modò alius diligentius cuſtodire potuerit. Et ideò qui hanc exactiſſimam diligentiã debet, tenetur de leviſſima culpa. Hæc leviſſima culpa intelligitur in libris noſtris juris ſæpius, quando tantùm diligentia nominatur *l. cum res 47 §. culpa de legat. 1. l. qui injuriæ 53. §. qui alienis verſ. Eadem ſunt in eo ff. de furt.* Atq; ita etiam in hac lege noſtra, ubi Ulpianus, *in his quidem & diligentiam*, nomine diligentiæ leviſſimam culpam accipit; ut ſi quid leviſſima culpa ſit commiſſũ, reſarciri debeat. Quin & cuſtodiæ nomen etiam ſæpius pro exactiſſima cuſtodia, cui leviſſima culpa opponitur, in libris juris poſitum eſt, ut in *l. 17. §. 4 ff de præſcript. verb l. ſi ut certò 5. §. Sed an etiam ff. commodati l. ſicut C. de pignor.* His

His ita præmissis (Nam quod casus fortuiti sint, tradetur in quarto membro) videndum est, in quibus contractibus præstetur tantum dolus, &, quæ ei proxima est, culpa lata: in quibus præter dolum & culpam latam, præstetur etiam culpa levis: & deniq;, in quibus præter dolum, culpam latam, & culpam levem, etiam præstanda sit culpa levissima. 13.

Ubi ante omnia intuendum, cujus gratia contractus initus sit, & cujus maximè utilitas in eo versetur. Aut itaq; contractus *solius dantis sive creditoris gratia* fuit initus, & ad dantis duntaxat utilitatem spectat, ut precarium & depositum. Aut *dantis & accipientis gratia* celebrantur, ut reciproci contractus emtio venditio, locatio conductio, societas, dotis datio, pignus. Alij deniq; contractus *accipiẽtis tantùm gratia* fiunt, ut commodatũ.

Primi generis contractus recipiunt solùm dolum, & latam culpam. *Secundi generis* capaces sunt doli, latæ & levis culpæ, *Postremi generis contractus* recipiunt dolum, latam, levem & levissimam culpã. Nulli autem horum sui naturâ admittunt casum fortuitum *h. l. nost. in fin. & l. si ut certò s. s. nunc videndum ff. Commod.* ubi Ulpianus tradit, hanc distinctionem perpetuò mente tenendam.

Nunc veniamus ad textum *in hac l. nost.* ubi 14.
JC. Ulpianus subdit, dolum tantùm recipiunt *depositum & precarium*, h. e. in his contractibus tantummodò præstatur id, quod dolo malo, &, quæ ei proxima est, culpa lata, commissum est. In

deposito præstatur tantùm dolus malus, h.e. depositarius tum demum tenetur, si quid dolo & fraudulenter (ut culpam latam comprehendat) circa res depositas egerit; veluti si re deposita utatur, furtum committere dicitur *l. qui furtum 16. ff. de condict. furt.* & si ad restitutionem urgeatur, infamiæ notam incurrit *l. qui depositum C. depositi.* Cur autem de dolo sive lata culpa tantum teneatur depositarius, ratio est: Quia depositum tantum regulariter fit gratia deponentis,& nulla ipsius depositarij utilitas versatur. *d. l. si ut certò § & nunc videndum.* Et qui negligenti amico rem suam custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet § *præterea Instit. Quib. mod. 20. contrah oblig.* Secus autem est, si quid depositi nomine accepit *l. 1 § vestimenta cum § seq. ff. depositi,* vel se deposito obtulit *d. l. 1. § 35. & c. fin. Ext. eod. t.*

15. Sic qui precariò accipit, sive precarij possessor (quando quid precibus petenti conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur *l. 1. in pr. ff. de precar.*) de dolo tantùm & lata culpa tenetur, non etiam de levi & levissima, licet duntaxat accipientis gratiâ res precariò detur. Ratio est, quia totum ex liberalitate sola descendit ejus, qui precarium concessit *l. quæsitum est 8. §. eum quoq; ff. de precario,* licet specialiter convenerit, ne ante certũ tempus repeteretur *l. cum precario 12. d. tit.* Ut ita nimirum videri non debeat, hic duntaxat dolum & latam culpam præstari. Est enim satis in precario, in re tam infirma dolum præstari: Nam nulla e-

la ejus utilitas spectari videtur, cum ex voluntate dantis pendeat *d.l.quæsitum d.tit. Cujat. ad h.l.nost.* Secus atq; in commodato, ubi utrũq; præstatur. Obligat enim ultrò citroq;. Non revocatur res commodata pro libitu, antequam ejus usum cõpleveris, sed tũ demũ ubi tempus, finis & modus, ad quem commodatum datum, expletum est *l.in commodato § sicut ff. commod.* Unde simul differentia contractus depositi & precarij constat.

Deindè etiam in eo differunt, quod depositum est contractus *5. præterea & 15. Instit. Quib.mod. re contrah. oblig.* At precarium non est propriè contractus, neq; quasi contractus, sed interdictum; ideoq; etiã inter interdicta ponitur *in Dig. lib. 43.* Et nominatur precarium, interdictum *in l. 15. in fin. & l.19. §.1. & 2. de precar.* Inter contractus autem hic refertur propter adfinitatem, quæ ei est cum commodato: quod tamen à precario differt, uti modò dictum. Qui itaq; precariò rem habet, præstat tantùm dolum & latam culpam; non etiam levissimam. Nec obstat, quod precariũ fiat accipientis gratiâ; unde dicendum videtur, præstandam esse culpã levissimam. Nam regula *in d.l. si ut certò 5. §. nunc videndum.* in precario nõ observatur, idq; propter incertam & instabilem precarij conditionem (uti paulò ante dictum) quod omni tempore revocari possit. Cum enim regulis juris hic contractus, ut alij, non sit allegatus, benignius cum eo agendum putavit Prætor, cui is qui dedit, benignè facere voluit *Wesenb. in paratt. ff. de precario num. 4. in fin.* 16.

Et

17. Et hi duo sunt contractus, *depositum & precarium*: in quibus duntaxat dolus malus & culpa lata præstatur. Sanè præstatur dolus malus & lata culpa in omnibus contractibus. Nullum enim negotium est, à quo malitia, fraudatio, mala fides, omnis mala ars abesse non debeat, & in quo bonã fidem considerari non sit æquum *l. bona fides 31. ff. depos.* Sed duo tantum contractus sunt, in quibus dolus malus & lata culpa duntaxat præstatur.

In reliquis enim contractibus, præter dolum malum, & culpam latam, præstatur etiam culpa levis, & interdum etiam culpa levissima. Ideò subjicit nunc Ulpianus *in h. l.* Dolum & culpam recipiunt, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negocia gesta: in his quidam & diligentiã, societas & rerum communio, & dolum & culpam recipit, *hoc est.* Hi contractus omnes præter dolum & culpam latam, quæ dolo proxima est, recipiunt quoq; culpam levem, seu præstatur in his contractibus omnibus non tantum quod dolo & culpa lata, verùm etiam culpa levi commissum est. Imò sunt in his contractibus, quos diximus, quidam, in quibus præstatur & diligentia, h. e. in quibus præstatur etiam quod culpa levissima commissum est, veluti mandatum, commodatum, tutela, negotiorum gestio. In cæteris contractibus, ut in empto vendito, locato conducto, dote, pignore, societate, præter dolum & latam culpam, præstatur etiam culpa levis; at culpa le-

vissi-

vissima non præstatur; quia in hisce cōtractibus utriusq; contrahentis utilitas vertitur: Ubi autē utriusq; utilitas vertitur, dolus & culpa præstatur *d. l. si ut certò § nunc videndum.* Culpa levis sc. non levissima.

Emtio venditio utriusq; contrahentis gratia 18. celebratur: atq; ideò si res vendita perierit, aut deterior facta sit, tenebitur venditor, si ipsius dolo lata aut levi culpa id factum sit: sin aliter, liberabitur *per §. cum autem Instit. de empt. vendit.*

Sic & locatio cōductio, in utriusq; cōtrahentis 19. tam locatoris quàm conductoris commodū cedit: atq; ideò locati actione conductor adstringitur, si ipsius dolo, lata vel levi culpa res locata deterior facta sit, vel etiam prorsus perierit *d. l. si ut certo § nunc videndum.* Quod itaq; Justinianus *in § fin. Instit. de locat. act.* ab eo qui mercedem pro alicujus rei usu præstat, custodiam desiderari talem, qualem diligentissimus paterfamilias rebus suis adhibet: & JC. Cajus *in l. si merces 25. § pen. ff. locati.* ab eo qui portandam columnam suscepit, tum demum culpam abesse videri, si omnia fecerit, quæ diligentissimus quisq; observaturus fuisset: sic interpretandum est, ut exacta, non etiam exactissima diligentia requiratur: & *superlativus* diligentissimus ibi ponatur *pro positivo* diligenti. Sicut, vice versa, diligens pro diligentissimo ponitur *in l. heredi 25. § non tamen ff. fam. ercisc.* Et diligentia, pro exactissima diligentia, ut in *h. leg. nost,* perindè ac si dictum fuisset,

E 5 mea

eam diligentiam in hoc contractu adhibendam esse, quam diligens paterfamilias suis rebus adhibere solet.

20. Sic in societate, omnium sociorum contrahentium utilitas vertitur: quocirca socius socio quoquè de levi culpa tenetur §. *ult. Instit. de societate.* Quia in communibus rebus talem diligentiam socius adhibere tenetur, qualem suis rebus adhibere solet, *d. §. ult.*

De communione rerum, in qua id, quod in res communes impenditur, atq; indè percipitur, ad omnes pertinet, idem respondet Pomponius *in l. pen. §. ult. ff. comm. divid.* & Impp. Diocletianus & Maximus *in l. fin. C. eod. in fin.*

21. Sic quoque creditor in custodiendo pignore conventionali sibi tradito, saltem de dolo, lata & levi culpa tenetur *d. §. nunc videndum.* quia pignus utriusq; tam debitoris quàm creditoris gratiâ cōtrahitur: (*debitoris* quo magis ei pecunia credatur, *creditoris* quo magis in tuto sit ei creditum) §. *ult. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig.* Sanè in pignore judiciali dolus duntaxat præstatur *l. Prætor ait 9. §. est præterea ff. de reb. auth. jud. possid.*

22. Dos quoq; utriusq; & mariti & uxoris gratiâ constituitur *d. §. nunc videndum.* mariti, quia pro oneribus matrimonij dote fruitur: uxoris verò, quia eò facilius nubit *l. pro oneribus 20. C. de jure dot.* Si itaq; dolo aut culpa mariti res dotales pereant, vel deteriores reddantur, tenebitur eo nomine maritus, licet pactus sit, ut dolum duntaxat, non

non etiam culpam præstet *l. 6. de pact.* ubi dicitur, illud fieri propter utilitatem nubentium. Et hi sunt contractus, in quibus præter dolum, latã culpam, etiam culpam levem accipiunt.

Cæterum in mandato, gesto, commodato & 23. tutelâ, præter dolum omnis culpa etiam levissima præstatur, sive præstatur id, quod culpa etiam levissima commissum est: quia sc. in illis contractibus solius accipientis sive debitoris utilitas versatur.

In commodato, quia illud fit ob solam utilita- 24. tem ejus cui commodatur, sive ejus qui commodato accepit: nam est gratuitum, nec revocatur quandocunq; : prius enim hujus usum expleat necesse est. *d. l. si ut certo §. commodatum.*

Ubi autem commodatum, sic etiam mandatũ 25. debet recipere levissimam culpam *l. in re mandata 21. C. mand.* Et facit huc hæc nostra *l. contractus,* ibi, in his quidem & diligentiam. Nam hoc loco *quidam* est pluralis numeri : quare ea voce plures contractus significantur, qui diligentiam, h. e. diligentiam exactissimam recipiunt. Neq; obstat, quod mandatum respicit plerumq; utilitatem solius mandantis *l. 2. in pr. §. ult. ff. mandati & princ. Inst. eod.* Unde dicendum videtur, mandatarium teneri duntaxat de dolo, non etiam de culpa levi aut levissima, secundum regulam propositam *in d. l. si ut certo §. nunc videndum.* Diversa enim ratio est depositarij & mandatarij. *Mandatarius,* qui negotium alterius gerendum suscipit, videtur ma-

ximam

ximam diligentiam & industriam promittere: quia in gerendo negotio opus est maxima industria, diligentia & operâ *l. à procuratore 13 l. in re mandata* C. *Mandati*. Verùm *depositario* sufficit, si depositum recondat *Duar. ad tit. ff. & C. mandati Cothm. resp. 46.*

26. Dubitationem facit tutela & negotiorum gestio. Cum enim utraq; actio solius domini h. e. pupilli, & ejus ad quem negotia pertinent, spectet, videtur dicendum, debere tantùm dolum & latam culpam præstari. Sed in tutela aliud à jure constitutum est, nempe ut tutor etiam de levissima culpa teneatur, propter publicum favorem pupillorum *l. quidquid 7. ubi Dd. C. de probat.* In tutelam igitur venit quoq; levissima culpa; nam exigitur exactissima diligentia *l. ut tutor l. à tutoribus 33. ff. de admin. tut, §. ult. Inst. de oblig. ex quasi contr.* In negotiorum gestione id ita jure constitutum est, propter hanc rationem, quod sponte se obtulerit *l. tutori 20. C. de negot. gest.* qui semper aliquid ulterius præstare cogitur *§. ult. Inst. d. t. Cujat. ad h. l. Vult. discept. schol. 15.*

27. Quæ autem hactenus in primo membro, de dolo, lata, levi & levissima culpa dicta sunt; ea ita sunt de natura contractuum, & generaliter procedunt. At extra naturam, conventione partium potest quid etiam addi vel detrahi, ut plus minusve quid præstetur. Ideò subjicit Ulpianus *in h. l. nost.* Sed hæc ita, nisi quid nominatim convenit, videl. plus vel minus in singulis cõtractibus.

Et sic

Et sic contrahentes in deposito & precario, in quibus regulariter tantùm dolus præstatur, & lata culpa, convenire possunt, ut præstetur etiam levis & levissima culpa. Vicissim contrahentes in mandato, commodato, tutela, in quibus dolus, culpa levis & levissima præstatur, possunt convenire, ut tantùm dolus & lata culpa præstetur; & quemadmodum inter contrahentes convenit ab initio, ita servabitur: legem enim contractui dedit *h. l. nost.* h.e. formam & temperimentum dedit, ut jam ex ipsa conventione de contractu judicetur *Donell. in l. lege 10. n. 4. C. de pact.* Idq; verũ est, si in continenti pactum fuerit adjectum, ut tunc ipso jure conventio valeat *l. jurigentium §. quinimò ff. de pact.* & contractum formet, reformet, transformet *l. pacta conventa ff. de contrab. emt.* Itaq; ex pacto sive conventione petes culpam à depositario: alioquin exceptionem tantùm pariunt. Igitur pacto fieri potest, ut casus fortuiti præstentur, itemq; culpa, ut in precario.

Sed ut ad tertium membrum *hujus legis* perveniamus, non potest pactum & conventio fieri, ne dolus præstetur: quia est contra bonos mores & bonam fidem *l. si unus §. illud ff. de pact.* Hinc ait Ulpianus: *Excepto eo, quod Celsus ait, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur. Hoc enim bonæ fidei contrarium est: & ita utimur.* h. e. hoc jus ita receptũ est. Intelligendus autem est dolus non præteritus, sed futurus & adhuc committendus. Posteaquã enim dolo aliquid fecisti, pacto actionem rectè 28.

remit-

remitto; sed non caveo in futurum, ut dolum impunè committas.

29. Cur verò solus dolus futurus pacto remitti nõ possit, præteritus autem possit remitti, diversitatis ratio est illa: quia in præteriti doli remissione cessat ratio prohibitionis, quæ erat, ne homines ad delinquendum invitarentur: cum jam verò dolus sive delictum sit admissum, nec metuitur admittendum, meritò itaq; & ipsa cessabit prohibitio. Itaq; conventio sic iniri non potest, ne quis teneatur de damno, quod sua malitia sive dolo sit daturus. Hinc est, quod in omni contractu, non attento, utrum in eo debitoris utilitas versetur, an non, dolum præstari jura volunt: quia rationi naturali non congruit, ut cuiquam dolus suus sit lucrosus *l. 1. in pr. de dolo malo.* Quin & impunitate doli proposita, homines invitarentur ad frandandũ, ubi potius conveniebat metu pœnæ eos ab ejusmodi delicto deterreri *arg. illud 5. in pr. ff. de pact. dotalib.* Idem est in delictis futuris & præteritis, sive committendis & commissis; ut de illis pacta non valeant, de his valeant. Differentiæ ratio eadem est, quæ modò indicata.

30. Reliquum est ultimum *legis nostræ* membrum, quod est de casibus fortuitis, sive damnis fatalibus, seu ijs quæ vi majore accidunt, nullaq; diligentia humana prævideri, nullave vi præcaveri vel averti possunt, de quibus Ulpianus *h. lege* ait his verbis: *Animalium verò casus, mortes, quæq; sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent,*

lent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, à nullo præstantur. Undè patet, casibus fortuitis neminem teneri sc. ex natura contractus: tum quia impossibilium nulla est obligatio *l. impossibilium 185. h. tit.* at verò impossibile est homini, casus fatales vel prospicere, vel avertere atq; evitare *§ item is cui. vers. sed propter majorem vim Instit. Quib. mod. re contrah. oblig.* tum quia æquè domino res erat peritura, etiamsi in contractum V. G. commodati, locati, pignoris, depositi, precarij, vel alium similem, deducta non fuisset. Et hinc facilè perspicitur, quàm iniquum futurum esset, velle quempiam obligare ad ejusmodi casuum præstationem. Sed casus fortuiti ad eum spectant, qui rerum dominium habet: quia unaquæq; res perit suo domino, ipsiusq; periculo est *l. pignus 9. C. de pign. act.* Hinc in mutuo, quia in eo dominium transit in accipientem, idcircò casus fortuiti ad eum, qui mutuum accepit, pertinent *l. incendium 11. C. si cert. pet. & d. §. item si is cui.*

Deinde quod dictum, casus fortuitos non præstari, verum est, nisi dolus aut culpa casum præcesserit; puta, si quid imputari possit ei, qui rem, quæ casu fortuito perijt, restituere debuit, sive illi, tali damno occasionem præbuerit vel dolo, vel culpa aliqua sua *l. 5. §. 4. & l. 18. ff. commod.* V. G. Tutor res pupillares, quas in horreo conditas habere, vel etiam vendere debuit, secum circumtulit, eæq; in hospitio ejus conflagrarunt: hoc ca- 31.

su da-

ſu damnum eſt, non pupilli, ſed tutoris: quia ſc. hic intervenit culpa ſeu ſegnities tutoris, qui non debuit ſic circumferre res pupilli, aut in hoſpitio habere, ſed potius recondere, & diligenter aſſervare; vel ſi ſervando ſervari non poterant, maturè diſtrahere ad utilitatem pupilli: quod ſi feciſſet, non fuiſſent incendio conſumtæ *l. 3. C. de pericul.tut.* Sic etiam commodatarius rem quam domi utendam acceperat, peregrè ſecum ſumſit, atq; ita amiſit, incurſu latronum vel piratarum, vel hoſtium, vel prædonum; vel etiam naufragio, vel incendio &c. certè hic commodatarius tenetur de caſu hoc fortuito; quia ſc. culpa ipſius hunc caſum præceſſit, qui videlicet rem, quam ea lege accipit, ut domi uteretur, peregrè tulit, id quod facere non debuit: ac proinde caſus adverſus meritò ei imputabitur, quippe cui occaſionem præbuerit.

Ex quo facilè intelligitur, ſecus eſſe, ſi rem etjam in eum finem accepiſſet, ut peregrè aſſumeret: tunc enim ſi quid vi majori acciderit, præſtare non cogitur: niſi fortè per loca periculoſa proficiſci maluerit, cum poſſit per tutiora. Neq; hujus exceptionis æquitas iniqua cenſeri debet. Nã in his caſibus eſt quod imputari poſſit illi, cujus dolus aut culpa intervenit: quæ ſi non intervenisſet, res ſalva manſiſſet, ut in exemplis adductis, & ſimilibus cuivis eſt manifeſtum.

Idem eſt quoq;, ſi mora caſum præceſſerit, ut ſc. & tunc caſus fortuiti præſtentur: id eſt, ſi is

qui

qui ex natura contractus rem debeat tradere, vel restituere, fuerit in mora tradendi vel restituendi, eaq; inter moras perierit. *l. si in Asia 18. § quemadmodum. ff. depos. l. si plures § fin. eod.* Nam hic quoq; est, quod imputari possit moratori seu cunctatori, id est, ei qui moram fecit. Est enim mora quædam species culpæ, cum quis rem suam non suo tempore restituit. Si quid igitur per moram restituendi acciderit, meritò hoc damnum spectabit ad moratorem, non ad dominum rei. Sic si reus receperit in se æstimationem rei præstiturũ, eo casu quoq; illam debet, etiamsi res interierit casu aliquo majore seu fortuito. Omne enim periculum ab eo præstandum est, qui rem æstimatã accepit *d. l. si ut certo 5. § 3. ff. commod. l. 10. in pr. ff. de jure dot.* Ubi JC. tradit ideò cautelam, præsertim sponsis & novis maritis, ne facilè dotem æstimatam recipiant, sed potiùs inæstimatam. Sicut ergò emtori perit res post traditionem, utpotè domino rei § *cum autem Instit. de emt. vendit.* Sic etiam fit in re æstimata data.

Deniq; quod paulò ante de conventionibus dictum est, hic quoq; locum habebit. Nam si 33. convenerit inter contrahentes, ut etiam casus fortuiti præstentur, videlicet, si quis casum & omne periculum in se recepit, ille de eo quoq; tenetur *l. 1. C. depos. l. negotium 22. C. de negot. gest.* Et hinc dixi, non præstari casus fortuitos, *ex natura contractus.* Ratio hujus exceptionis est: quia pactũ dedit legem contractui. & quia sibi imputare de-

bet, qui præstationes casuum fortuitorum in se recepit; atq; ita durius se obligavit, quam aliàs regulariter teneretur. Quod itaq; semel ei placuit, hoc non potest amplius displicere *c. quod semel. de reg. jur. in 6. & arg. l. sicut 5 ff. de oblig. & actionibus.*

34. Illud adhuc admonendi sumus, distingui periculum à casu fortuito *l. litis 37. § 1. ff. de negot. gest. l. non similiter ff. de magist. conven.* Periculum namq; vocatur casus, qui hominis negligentiâ & culpâ vel contrahentis, vel aliàs evenit *Bald. in l. quæ fortuitis n. 2. C de pign. act.* At casus fortuitus nominatur, qui fato, & ex causarum ignoratione contingit. Illud ergò quis præstat; hunc verò nō item. Sanè in effectu, periculum etiam casum fortuitum denotat *l. si quis nec causam. in pr. ff. de reb. cred. d. l. certò § sed interdum. vers. planè ff. cōmod.*

Exempla sive species casuum fortuitorum *ab Ulp.* allata, facilè intelliguntur. Quibus addi possunt, ruina, naufragium, tempestas, terræ motus, & vis ventorum; turbines, chasmata, labes & hiatus terræ, grādo & calamitas, uredo, rubedo, rubigo, carbunculus, locustæ, locustarum agina, aliorumq; insectorum & volatilium frugibus noxia: Item acor & mucor in vino; & reliqua, quæ videri possunt apud Hotomannum *4. obs. 7.* Donellum *16. comm. 6.*

35. Rectè autem Faber *ad hanc legem* tradit: Quod licet furta inter damna, non tamen inter casus numerentur *Wesenb. 1. consil. 36. n. 28.* Siquidem à diligenti patrefamilias provideri & impediri possun

sunt *l. cum duobus § damno, vers. quod si à furibus ff. pro socio, l. quod sæpè 31. §. si res ff. de contrah. emt.* Quod tamen intelligendum est respectu extraneorum, à quibus res nostras custodire possumus & debemus: Quia si aliquid vel non possit vel non soleat includi, nobis subtrahatur ab ea persona, à quâ etiam diligentissimus non præcavisset, puta, ab uxore, vel filio, famulo, alijsve domesticis nostris, tunc casus etiam esset fortuitus tale furtum, propterea quod præcaveri non potuerit. Et ita distinguit Panormitanus *in c. un. Ext. de commodato.* Quin & rapinæ etiam inter casus fortuitos non numerantur, si qua culpa proficiscenti per insidiosa loca imputari potest *l. in rebus 18. vers. quid autem ff. commod.*

Deniq; quædam subjicienda etiam de probatione culpæ, itemq; casus fortuiti: cùm illa ad praxin conducant. Quia autem culpæ, erratum seu crimen inest, propterea quod quando dico te in culpa esse, idem sit, ac si dico, te tuo officio nō satisfecisse, *l. nullum crimen. 109. & l. culpa caret. 80. h. tit.* & præsumtio sit, quemlibet boni viri officio fungi *l. meritò 5. ff. pro socio Alciat. reg. 3. præsumt.* Ideò hæc præsumtio transfert onus probandi in eum, qui asserit culpam ab altero admissam esse *Bart. in l. in illa 8. n. 10. de verb. sign.* In probatione igitur culpæ distinguendum. Aut enim quis tenetur ad factum certum, limitatum tempore & loco, ut quod tutor teneatur agros & fundos pupilli curare, & justo tempore coli; & tunc eoipso 36.

quod non facit, est probata negligentia ejus, nisi alter contra ostendat inevitabile impedimentum *l.2.§ si quis judicio ff. si quis caut. l.3.§ si ad diem ff. de re milit.* Aut quis tenetur ad factum in genere, circumstantijs talibus non inclusum, tunc peculiariter probandum est, omnia quæ facere debebat, ab ipso neglecta fuisse. V. G. Tutor debet pecuniam pupilli in emtionem prædiorum collocare: quod si non faciat, culpæ reus, & jacturam resarcire cogitur *l. tutor 7. § si post depositionem ff. de administ. tut.* Hic contra tutorem probari debet, prædia fuisse venalia quæ emi potuissent, & tantum pecuniæ ad manus tutoris ex rebus pupilli tum pervenisse, quæ satisfuisset ad emtionē illorum prædiorum *Plutus in tract. de jure militum § 8. n.17.* Sic si quis magistratui velit culpam imputare, quod malefactorem non ceperit, tunc omninò probandum esset, magistratum scivisse tale delictum fuisse patratum: item malefactores tam diu latuisse in eorum territorio, ut cives vel alios possent convocare & in eos irruere *Barth. consil.102.n.1.lib.1.Felin.in c. si autē 9.n.2. Ext. de rescr.*

73. De casu fortuito sciendum est, quod eum allegans probare teneatur *l. si creditor 4. C. de pignor. act. l. testium C. de testam.* Et similiter est distinguendum: Aut enim factum illud est manifestū, ut quod tempestate cedes sunt eversæ, aut quod pruinâ vel grandine segetes læsæ sint. In istis facilis est probatio. Aut factum est tale, quod clàm fieri solet, ut est furtum; & tunc per conjecturas talis

talis casus probari potest, vel ostensione forium fractarum: quod quia non sufficit, tunc debet is, qui se fundat in tali casu, etiam addere juramentum, res illas ex conclavi isto fuisse exportatas *Castr. ad d. l. si creditor.*

AD L. XXIV.

Quatenus cujusq; interest, in facto, non in jure, consistit.

IS omnium obligationũ effectus est, ut aliquid utiliter nobis fiat *l. stipulatio 38. §. alteri ff. de verb. oblig.* non etiam ut detrimentum ei qui officium præstitit, vel suæ rei, vel officij communicatione eveniat *arg. l. si procuratorem §. mandati ff. mandat.* Ideoq; sæpenumerò incidit quæstio *de eo quod interest.* Ubi tamen interesse non sumitur largè, quatenus complectitur id omne, quod vel damnum vel utilitatem habet: in qua generali significatione, Interesse nihil aliud importat, quàm utile est, & expedit. Uti interest Reipublicæ, mulieres habere dotes salvas *l. 2. de jure dot.* Interest ne delicta maneant impunita *l. ita vulneratus 51. ff. ad L. Aquil.* sed accipitur strictè; ita ut significet id quod lucrari potui *l. si commissa 13. ff. rem rat. hab.* Ait itaq; Paulus: *Quatenus cujusq; intersit, in facto, non in jure consistit.* Docet itaq; Paulus, quomodo *id quod interest,* æstimari debeat. 1.

Cæterum id quod interest, seu interesse (Infinitivus enim ille græcorum more pro nominativo ponitur) definitur ab Accursio, damnum emergens ac lucrum cessans, ex eo quod fieri quid 2.

 debuit.

debuit, nec factum est, h. e Nihil aliud est, quàm utilitas, quam quis nõ est cõsecuturus, vel omisit dolo vel culpâ alterius. Et in eo quod interest, inspicimus quantum cuiq; abest, quantumq; lucrari potui *l. si, commissa 13. in pr. ff. rem rat. hab.* Et quando quæritur, quatenus cujusq; intersit, h. e. cùm agitur non simpliciter in id quod mihi abest, sed de æstimatione ejus quod interest; sive quæritur, quid & quantum cujusq; intersit, & quomodo id debeat æstimari, usq; ad quam summam; tum hæc quæstio in facto, non in jure cõsistit *h. l. nost.* h. e. quæstio est facti, non juris; & æstimatio ejus quod interest à JCto, aut à judice, certo jure definiri non potest; sed à judice, de facto cognoscendum, & indè quæstio illa disceptãda est. Et quia in facto consistit hæc quæstio, cùm de interesse agitur, ideò probari debet ab eo qui id petit, deducendo facta certa, aut certas occasiones, ex quibus ipsi damna accreverunt, vel lucrum decesserit, aliàs Reus absolvetur *Gail 2. obs. 6.* Jus enim semper certum ac definitum est: sed factum incertum: ideoq; veritas ejus tota in probationibus consistit *l. ubi autem 75. § quid id ff. de verb. oblig.* & in arbitrio judicantis est *l. 1. §. quarum alterum ff. ad SC. Turpill.*

3. Hinc *in jure ea dicimus consistere*, quæ juris rationibus explicantur, nec egent ulla facti extrinsecus probatione, ipso jure satis definita. Contra, *in facto dicimus consistere*, quæ nullo jure finita, necessariam habent facti probationem. Cum itaq; quæ-

quæritur, *Quatenus cujusq; intersit*, h. e. de quantitate ejus quod interest, illa quæstio est facti: Quod si verò dubitatur, non quatenus, sed, *an cujus intersit*, aut quid observari debeat, si aut quia cujus intersit, id juris quæstione contineri poterit. Ut si inter litigantes contentio sit; an ejus, qui ad exhibendum agere vult, intersit: Nam hoc ex caussa statui debebit, quæ plerunq; juris quæstionem habet, ut intelligi potest ex ijs, quæ *sub tit. ad exhibendum* tractari solent *fac. l. quæsitum 14. ff. de pignorib.*

Cæterùm probatio ejus quod interest difficilis est: idcircò plerunq; quanti cujusq; intersit, ad exiguam summam deduci potest *l. fin. ff. de inutilib. stipul.* Et judex illud quod interest ita arbitrari debet, ut in casibus certis, qui sc. certam habent quantitatem vel naturam, seu certam pecuniæ sumam, certumve corpus continent, ut interpretatur Cujatius *9. obs. 31.* Ut sunt emtiones, locationes, in quibus est certum pretium, & reliqui contractus certi, duplum ejus, quod in obligationem venit, non excedat: in casibus verò incertis, ubi res certam pecuniæ summam, certumve corpus non habent, veram æstimationem ejus non egreditur *l. unic. C. de eo quod interest* V. G. Servus venditus est centum aureis: certum est pretium, certa res, certa quantitas: si servus evincatur emtori post aliquot annos, agit emtor in id quod interest: eo nomine non potest consequi ultra ducenta: etiamsi longè majores sumtus fecerit in servo erudiendo. 4.

5. At in casibus incertis non potest certus modus ejus quod interest: Itaq; necessario standum est sententiæ judicis, veluti in L. Aquiliæ actione, quanti ea res eo anno plurimi fuit, ex constitutione Justiniani dispositum est, ut judex æstimet, quanti revera adest damni, quantumve interceptum sit lucri, h. e. secundum præsens pretium *l. in lege 62. ff. ad L. Falcid.* Namq; infiniti, infinita est regula *teste Aristotole.* Sic finge: Ago adversus te interdicto quod vi aut clam, quia opus fecisti & diruisti, vel in tuo, vel in meo, ex quo mihi nocetur: lis æstimatur quanti mea interest, opus factum aut dirutum non esse: id verò ex hoc magnifacio mea interesse, & multa inania allego rei augendæ causâ. Judex meas allegationes non spectabit, sed damnum quod reverâ exinde sentio *l. 1. § in hoc interdicto ff. quod vi aut clam.* atq; ita quanti mea interest, æstimabit. Habebit etiam rationem lucri intercepti, & ex eo quoq; æstimabit id quod interest. Non enim tantum spectatur quod mihi abest, sed etiam quantum mihi adesse potuerit *l. si commissa 13. ff. rem rat. hab. l. quia quid 7. C. arbit. tut. Cujat. ad hanc leg.* De reliquis quæ in probatione ejus quod interest observari debet, eleganter tractat Decius *ad h. l. n. 5. & seqq.* Juramento etiam probari posse interesse, docet Wesenbecius *2. consil. 100. num. ult.*

AD L. XXV.

Plus cautionis in re, quàm in persona.

1. CAutio significat nudam repromissionem *l. Sanci-*

Sancimus 3. C. de verb. sign. nisi adjunctum verbum, vel rei conditio, aut qualitas aliud postulet. Nam cùm dicitur, cavendum idoneè, vel rectè, vel utiliter, vel satisdatò, vel cum satisdatione, tum pignoribus vel fidejussoribus cavendum est *l. 4. § addici ff. de fideicomm. hæred.*

Hoc loco cautionis nomen generaliter securitatem significat, & *plus cautionis est*, h. e. plus securitatis est *in re*, quando sc. quis rem tenet, vel pignus, *quàm in persona*, h. e. melius & cautius est habere rem apud se ac possidere, veluti pignus, quàm contra aliquem agere, & litis periculo se exponere. Finge; creditori datum est pignus, id ei surripitur; tunc agit furti actione, licet sit idoneus debitor: quia interesse videtur creditoris, & quoq; melius sit, incumbere pignori quàm personæ; & pignus tenere, quàm in personam agere *Cujat. h.* Et sic Justinianus rectè dixit; Expedit pignori potius incumbere, quàm in personam agere *§ furti Instit. de oblig. quæ ex del.* 2.

Cæterùm Bellonus *lib. 1. supput. cap. 8.* tradit, JCtum hic loqui, non de pignore; sed de retentione rei, & quod *in hac lege* fundatum sit jus retentionis: ut sententia JCti sit; longè melius esse rem in sua custodia retinere, quàm eam reddere, & postea actionem personalem exercere *Cagnol. ad h. l. per § furti autem Instit. de obligat. quæ ex del. l. si is qui rem 5. de furt. & tot. tit. ff. Quod legatorum l. unic. C. Etiam ob chirographarum pecuniam pignus retineri posse.* 3.

Ad L. XXVI.

Qui potest invitis alienare, multò magis & ignorantibus & absentibus potest.

1. HÆc regula propriè locum habet in alienationibus: quo alienationis verbo significatur omnis actus, per quem dominium transfertur *l. 1. C. de fundo dot.* Sæpè evenit, ut ad actum aliquem celebrandum consensus alicujus requiratur, veluti tutoris, vel proximi agnati. Jam verò quorum præsentia & authoritas non requiritur, ijs nō solum absentibus, sed & præsentibus & invitis res alienari posse dicitur. Ait ergo Ulpianus: *Qui potest invitis alienare*, h.e. qui potest dominium in alterum transferre, adversarijs præsentibus, atq; ita eis invitis, ille multò magis & ignorantibus & absentibus potest alienare. Plus enim est posse quid facere præsente & contra dicente adversario, quàm eo ignorante & absente: quoniam absens forsan alienationi contradicturus non fuisset. Ac non debet, cui plus licet, quod minus est, nō licere *l. non debet 7. sup. eod.* Et frustra expectatur præsentia aut scientia ejus, quo etiam reclamante & invito actus explicari potest *l. 4. §. 3. de fideicomm. libert. l. aliquando 13. § ult. ff. ad SC. Vellej.*

2. Cæterùm extra alienationis causam, hujus regulæ locus non est. Sic licet sententia proferatur in invitum *l. inter stipulantem 83 §. si Stichum de verb. oblig.* Tamen in absentem, qui citatus antea nō fuit, ferri nō potest *l. de unoquoq; 57. ff. de re jud.*

Unde intelligimus, hanc regulam procedere, quan-

quando id quod factum est, per absentem vel ignorantem infirmari non potest: Et inde Doctores hic inferunt, non esse citandum eum, quo præsente & invito actus possit explicari.

AD L. XXVII.

Nec ex prætorio, nec ex solenni jure privatorum conventione quicquam immutandum est, quamvis obligationum causæ pactione possunt immutari, & ipso jure, & per pacti conventi exceptionem: quia actionum modus vel lege, vel per Prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur, nisi tunc cum inchoatur actio, inter eos convenit.

PEr Prætorium & solenne jus intelligit Pomponius jus publicum, quod continet principaliter utilitatem publicam; & appellatur jus commune, quod in genere aliàs jus civile dicitur, & in jus prætorium ac solenne, sive civile in specie dividitur. *l. jus civile 6. ff. de just. & jure l. jus autem civile 7. tit.* Observandum itaq; hic, jus prætorium distingui à jure solenni h. e. à jure legitimo & civili. Jus prætorium vocat Pomponius à Prætore introductum. Jus solenne à lege; quod ideo *Solenne* veteribus vocatum fuisse arbitratur, non quod jus civile cum solennitate proponebatur, *ut voluit Accursius ad h. l.* Sed quod omne jus Romanum legitimum atq; civile, solennia sua quædam habebat; quæ maximâ ex parte nunc sublata esse videmus. Prætorium autem talibus solennibus carebat, quod esset annum seu anno finitum, nisi protogatum fuisset; ideoq; etiã varium erat & quotannis mutabile, neq; ad tẽpora 1.

Cicero-

Ciceronis, quibus Cornelius Tribunus plebis, plebiscitum fecit, quo jubebantur prætores ex Edictis suis perpetuis jus dicere, *docente Asconio*.

2. Conventionem cum Pomponius dicit, pacta intelligit: ut ita conventionis nomen specialiter hic accipiatur *l. Labeo 2. l. item 4. ff. de pact.* Cùm aliàs conventionis nomen generaliter cōplectatur contractus & pacta *l. conventionum 5. l. juris gentium 7. ff. de pact.*

3. Hæc ergo est sentētia *hujus legis*. Nec ex prætorio, nec ex solenni jure quisquam immutandum est h. e. jus publicum vel commune non potest tolli vel mutari privatorum pactis. Et ita Cajus ait, privatorum conventio juri publico non derogat *l. neq; pignus 45. §. 1. h. tit.* Ne sc. ad cujusvis privati hominis arbitrium jus publicum infringatur. E. G. Jure prætorio maritus, ad quem dos pervenerit, non tenetur actione funeraria *l. Neratius 20. de relig. & sumpt. fun.* quâ quod in funere uxoris insumsit, repetatur. Marito hoc jus pacto tolli non potest *l. 1. §. si inter ff. de magistrat. conven.* Sic paterfamilias habet liberam testandi facultatem: conventione igitur sive pacto nullo astringi potest, ut hæc ei adferatur. V. G. Si quis paciscitur, ne alium quàm Titium testamento heredem instituat: si enim ita convenerit, nihil agitur. Sic filia etiam succedit *l. ult. ff. de suis & legit.* Ergò non potest fieri pacto, ut non succedat. Sic nec pacto hereditati futuræ renunciari potest *l. pactum dotale 2. C. de collat.* Quod verum est, nisi

cum

cum juramento quis renunciaverit *c. quamvis. de pact. in 6. & ibi Covarr.* Et tunc valet renunciatio sive pactum de futura hereditate omittenda, propter religionem jurisjurandi. Omne enim juramentum, quod non vergit in dispendium æternæ salutis, servandum est *c. cum contingat de jurejur.*

Quod si autem filia mortuo patre paciscitur, 4.
ne à fratribus parentum hereditatem avocet, hujusmodi conventio, quia juri tantùm privato denegat, (hereditas hic enim est delata) valet. Juri enim privato quilibet renunciare potest: & habemus omnes licentiam ijs, quæ pro nobis introducta sunt renunciandi *l. si quis in conscribendo 50. C. de Episc. & Cler.* Sic si quis paciscitur, ne si quando actio competierit in alium ex aliquo contractu, vel ex maleficio, eâ utatur, hoc pactum, quia adversatur juri publico, seu contra jus commune factum, & publicam utilitatem lædit, nullius est momenti. Sed si convenit, ne quis actione, quæ tibi jam competijt, utatur, hujusmodi conventio, quia juri tantùm privato derogat, valet, *per vulg. l. Si quis in conscribendo.* Quod omnes habeamus licentiam ijs renunciandi, quæ pro nobis introducta sunt.

Sic certum est, quod emtio non fiat rebus, sed 5.
pretio, quod in numerata pecunia consistere dicitur §. *item pretium Instit. de contrah. emt.* Ante cōtractum itaq; pacisci non licet, ut emtio rebus fiat, non pretio. At si perfecto contractu placuerit, ut loco pretij, vel vina, vel pecora, vel quid aliud

liud insolutum detur, pactum sanè valebit *l. pretij caussâ C. de resc. vendit. l. manifesti* 17. *C. de solut.* & ita juri publico non possumus derogare privatorum pactis sive conventionibus: sive jus publicum privatorum conventionibus immutari non potest. Secus autem est de jure privato.

6. Et propterea subjicit Pomponius: *Quamvis obligationum causæ pactionibus possint immutari, & ipso jure, & per pacti exceptionem.* Quibus verbis docet; juri quod competit ex contractibus singulorum, per pacta & conventiones posse derogari. Adeoq; hoc vult dicere JCtus: Pacta cõtractibus in continenti, adjecta, contractus & ipsas actiones ex contractibus descendentes formare ita, ut actio secundum pactum contractui adjectum detur: quæ verò pacta contractibus ex intervallo adjiciuntur, exceptiones parere.

7. Per obligationum causas JCtus hic intelligit contractus Sunt enim contractus causæ, ex quibus obligationes veluti effectus nascuntur. Et obligationum causæ, pactione possunt immutari *h. l. nostr.* h. e. ipsi contractus mutantur, formantur, reformãtur, prout contrahentes vel in ingressu, sive in initio contractus, vel etiam ex intervallo, convenerunt. Non itaq; causa contractus mutata, jus mutatur; sed permittitur saltem privatis per conventionem, conditionem obligationis aliam facere, & legem ei dare. Nã cõtractus & obligationes, & actiones ex cõventione legẽ accipiũt, vel ipso jure, vel mitione Prætoris.

Obli-

Obligationum itaq; cauſæ pactione poſſunt 8.
mutari & ipſo jure, & per exceptionem. *Ipſo jure* ſc. ubi in ingreſſu contractus pactum eſt factū; *Per pacti conventi exceptionem*, ubi pactum factum eſt ex intervallo. Adjicit ejus ſententiæ interpretationem ſtatim Pomponius *in h. l.* ubi inquit: Actionum modus vel lege, vel per prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur, niſi tum, cùm inchoatur actio, inter eos convenit. Per *actionum modos* JC. intelligit formam ſive actionum formulas, quæ ad futuram aliquā controverſiam expediendam legibus ſunt proditæ, vel à prætore introductæ, h. e actiones civiles & prætorias. Et hujusmodi formulæ h. e. actiones ipſis privatorum pactionibus non infirmantur, niſi tùm, cùm incohatur actio, inter contrahentes convenit *h. l. noſt.* h. e. niſi jure permittente, lex aliqua data, ſive pactum in continenti, ſive in ingreſſu contractui ſit adjectum. Et actio hic pro obligatione ſive contractu, ex quo obligatio & poſtea actio naſcitur, accipitur, veluti effectus pro cauſſa.

Atq; ita verba ultima *legis noſtræ* docent: Pa- 9.
cta in ingreſſu adjecta, non tantùm mutare & formare contractus, verùm etiam ipſas actiones ex contractibus deſcendentes formari ſecundum pacta contractibus in initio adjecta. Et ita pacta contractibus in initio addita, non tantū contractus, ſed & actiones ex cōtractibus deſcēdētes formare dixit Ulpian: *in d. l. jur. gent. 7. § quinimo ff. de pact.*

AD L. XXVIII.

Divus Pius rescripsit, eos qui ex liberalitate conveniuntur, in id quod facere possunt, condemnantur.

1. PEr D. Pium intelligitur Imperator Antoninus, qui primum hoc cognomen Pij meruit, ideò quòd piè sanctèq; vixerit. Hic Divus jus dicitur rescripsisse. Quia pleræq; principum constitutiones sunt rescripta sive responsa, quibus Principes alijs speciem facti proponentibus, quid juris sit, Sciscitantibus, responderunt. Rescriptum tale erat: *Eos qui ex liberalitate conveniuntur, in id saltem quod facere possunt, condemnandos*, h. e. Qui donant aliquid ex mera liberalitate, nullo jure cogente, non condemnari debent in solidum, ubi id quod donarunt, non facilè possunt præstare, ne sc. ipsi egeant *h. l. nost. text. in § sed etsi quis Instit. de actionib.* Cui consentit Paulus *in l. inter eos 19. §. 1. de re judic.* ubi simul hoc addit; donatorem præter alimenta, omne æs alienum quoq; quo alijs est obstrictus, deducere, atq; ad illius demum, quod his deductis superest, præstationem teneri: cæteris namq; personis hujusmodi æris alieni deductio indulta non est *l. exheredatum 49. ff. de re judic. l. in condemnatione 173. h. tit.* ubi JC. ait: In condemnatione personarum, quæ in id quod facere possunt, condemnantur, non totum quod habent, extorquendum est, sed & ipsorum ratio habenda est, ne egeant, h. e. ne victus vestitusve illis desit. Egere enim quis dicitur, qui ne qui-
2. dem

dem id habet, quo vitam tueatur, & quod victui sufficiat. Quo ipso differt à paupere. Nam pauper is dicitur, qui habet quod victui sufficit *Cujat. h.* Hujus juris nulla alia ratio fingi potest, quàm ne donator sua liberalitate inops fieri periclitetur *l. ut liberalitate 50. de re judic.* nec suæ liberalitatis pœnam patiatur, ut loquitur Modestinus *l. ad res donatas 62. ff. de ædil. edicto.* Ideoq; & res donata periculo ejus esse dicitur, cui acquiritur *l. si extraneus 33. ff. de jure dot.*

Rectè autem Ulpianus ait; Qui ex liberalita- 3. te conveniuntur. Nam prædicta saltem locum habent in donatione simplici & absoluta, quæ ex mera liberalitate proficiscitur. Secus enim est in donatione ob causam datorum, quæ non est propriè donatio seu liberalitas, sed potius quædã remuneratio, quæ hoc privilegio non gaudet *arg. l. hoc jure 19. § 1. ff. de donat.*

Cæterùm donator adversus nullum alium, quam donatarium, hac Divi Pij constitutione uti 4. potest, si nimirum donatarius ipse rem sibi donatam à donatore exigat. *Faber lib. 2. conject. cap. 13.* Quin & soli donatori saltem hoc beneficium sive privilegium constitutionis D. Pij competit; quia personale est. Suo tamen heredi hoc beneficio perfrui licet *l. etiam in pr. ff. solut. matrim.* Non etiam heredi extraneo *l. sciendum 25. ff. de re judic.* Adeoq; nec ad fidejussorem vel heredes ejus extenditur. Siquidem & fidejussor & heredes donatoris, si à donatario conveniuntur, in solidum

condemnantur *l. etsi fidejussor 24. cum l. seq. ff. de re judic.* Nam heres donatoris non ut donator convenitur, sed ut heres.

Deniq; hoc privilegium, quod datum est donatoribus, similiter habent complures, ut socij, parens, patronus, maritus § *sed etsi quis Instit. de actionibus.*

AD L. XXIX.

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

1. HÆc regula Catoniana propriè pertinet ad testamenta, ac alias ultimas voluntates, veluti ad heredum institutiones puras, quæ fiunt in testamentis, itemq; ad legata, quorum dies cedit à morte testatoris; non etiam ad illa quorum dies post aditam hereditatem cepit *l. 1. 3. & 4. & tot. tit. ff. de regula Catoniana.* Est igitur ea regula Catoniana: *Quod vitiosum est ab initio*, h. e. statim à testamēto condito, vel testamenti facti tempore, *non potest tractu temporis convalescere.* Atq; ita quæ ab initio inutilis fuit institutio, temporis tractu convalescere non potest *l. quæ ab initio 210. h. tit.* Et omnia quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quidem sine vitio cœperunt *l. omnia 201. eod.* ubi hæc regula reperitur. Sic quoq; si res legata mihi post testamentum factum fuerit alienata, legatum non valet, quia vires ab initio non habuit *l. cætera 41. § 2. de legat. 1.*

2. Quamvis autem hæc regula causas testamentarias

tarias potiſſimùm reſpiciat, earumq; gratia etiam primum conſcripta ſit; pertinet tamen eadem quoq; ad pacta & contractus *l. inter ſtipulantem 83. §. pen. de verb. oblig.* ut ſc. quod ab initio non valet, tractu temporis non convaleſcat, cum in contractibus tempus contractus inſpiciamus *l. 144. 1. h.* Atq; ita pactum, per quod alteri caveo ne ab eo petatur, adeò vitioſum & inutile eſt, ut etſi poſteà ipſe mihi ſucceſſor extiterit, ei tamen non proſit, quia ex poſt facto id confirmari non poteſt *l. ſi tibi decem 17. § ſi pactus ff. de pact.* Sic ſtipulatio de re ſacra vel publica, invalida dicitur, etiamſi poſtea res iſta profana aut privata efficiatur *§ idem juris eſt Inſtit. de inutilib. ſtipulat.* Sic pupillus ſine tutoris ſui authoritate ſeſe obligans non tenetur, etſi poſtea tutor contractum à pupillo habitum, ratum eſſe voluerit, vel pupillus ipſe juſtæ ætatis factus cõprobaverit *l. obligari 9. § pen. ff. de author. & cauſ. tut. & curat.* Quia quod ab initio vitioſum eſt, non poteſt ſolo tractu temporis convaleſcere *l. qui à quolibet 27. de contrah. emt.* niſi nova aliqua cauſa ſuperveniat, quæ actum confirmet, nimirum vel voluntas contrahentium, vel lex ſive princeps *Bronch. 4. aſſert. 100.*

Sanè omnis ratihabitio hodiè retrotrahitur, & mandato comparatur. *l. ult. ad SC. Maced.* Et ſic minor factus major, alienationem rerum immobilium ſine decreto factam, ratam, habere poteſt *l. fin. & tot. C. ſi major factus alienat. rat. hab.* Sic quoq; matrimonium initio nullum, impedimẽto

cessante, & accedente consensu mutuo confirmatur, non tractu solo temporis, sed voluntate nova expressa vel tacita *Accurs. ad h. l.*

3. Cæterùm huic regulæ etiam in sententijs, usucapionibus, & quibuscunq; alijs negotijs locum esse docet textus *l. si expressim 19. ff. de appellat.* ubi sententia contra leges lata, & sic ab initio nulla, tractu temporis, id est, ex post facto non confirmatur; quamvis appellans fatalia appellationis labi passus. Sic neq; possessio initio vitiosa tractu temporis convalescit. Hinc est, quod heres rem, quam defunctus initio mala fide possidet, usucapere non potest, etiamsi bona fide illam annos complures possideat *§ pen. Instit. de usucap.*

4. Hoc loco autem quæritur: Cur id quod ab initio nō valuit, tractu temporis firmari nequeat? Ideò sc. quia principiū cujusq; rei potissima pars appelletur *l. 1. de orig. jur.* ut si illud non rectè & convenienter processerit, multa inconvenientia consequantur. Ratio est: quia tempus est quædā circumstantia, quæ ad actus vim & naturam nihil confert *arg. obligationum ferè § placet ff. de oblig. & act.* adeoq; quod certo juris modo perficiendum fuit, tempus supplere nequit: siquidem necesse est ex juris constitutione, non ex solo tempore negotia in Republ. formari: Rectè igitur tempus negatur esse modus tollendæ obligationis *d. l. obligationum § placet* ut nec recuperandi, nec inducendi formam & effectum ei, quod inutiliter processit, tribuat. *§ an servo Instit. de legat. l. si mi-*

si minor, ibi, non multum facit, quod distulit ff. de serv. expect. Et sic constat, quod jura quemvis actum civilem ex tempore præsenti æstimant, nec ipsius statum ex tempore futuro, sive ex incerto futuri temporis eventu pendere volunt *l. continuus 137. §. cum quis. de verb. oblig.* Rectè itaq; ex tempore sumitur ratio ejus: Quod ab initio non valuit, tractu temporis firmari non posse *Cagnol. hic.*

Cùm autem conditionalia ex præsenti tempore statum non capiant, exindè consequitur, nec in conditionalibus, regulæ huic locum esse *l. pen. ff. de reg. Caton. l. existimo 58. in pr. de verb. oblig.* Ut itaq; in legatis conditionalibus, sic etiam in stipulationibus conditionalibus cessat hæc regula. Itaq; si rem meã stipulor, malè stipulor: quod si cesset mea esse, aliena deindè facta, an convalescet stipulatio? minimè: nisi sit conditionalis stipulatio *l. si Titius 9. & l. existimo 98. de verb. oblig.* Itaq; si ante conditionem existentem desinat esse mea, convalescit *Cujac. h.* 5.

AD L. XXX.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

Nuptias facit sive constituit, *non concubitus*, h. e. coitus sive corporum conjunctio, quã vulgus vocat copulam carnalem *l. cum hic status 32. §. si mulier 13. ff. de donat. int. vir. & uxor.* (Quia concubitus non est de substantia matrimonij) *sed consensus* sive maritalis affectio, ut est *in l. cum hic 32. § si mulier ff. de donat. int. vir. & uxor.* Unde & Justinianus uxorem eam legitimam esse definit, 1.

quæ affectione maritali habetur § *sui autem Instit. de hered. qual. & differ.* Cujusmodi affectione idem quoq; nuptias fieri scribit *Nov.* 22 Quia itaq; matrimonium non concubitus vel coitus facit, sed consensus sive voluntas: ideò quoq; non solvit illud separatio corporis, sed voluntatis: Idcircò qui dimittit conjugem suam, & aliam non accepit, adhuc est maritus. Nam etsi corpore separetur, tamen voluntate adhuc conjunctus est. Cum ergò aliam superduxerit, tunc eam planè dimittit. Non ergò qui dimittit, mechatur, sed qui aliam ducit *c. matrimonium 27. q 2. c. omnis res. de sponsalib.* Constituit itaq; nuptias, non concubitus, sed consensus, tum eorum, qui contrahunt, tùm etiam eorum in quorum potestate sunt *l. 2. de rit. nupt. l. neq; filium 12. C. de nupt.* quod ipsum tàm naturalis quàm civilis ratio svadet *in pr. Instit. de nupt.*

2 Sed fortè dixerit aliquis: Omnia à fine esse metuenda *l. 1. de orig jur.* At procreatio sobolis, quæ sine concubitu esse non potest, est finis matrimonij *l. 1. ff. solut. matrim.* Non erunt itaq; etiam nuptiæ sine concubitu: & consequenter non obtinebit hæc regula, quæ dicit; Nuptias non facere concubitum, sed consensum. Sed huic respondendum est, distinguendo inter matrimonium vel nuptias, & inter consummationem nuptiarũ. Sicut enim distinguitur inter emtionem, quæ ex consensu de merce & pretio consistit *l. pacta 27. ff. de contrah. emt.* & inter perfectionem ejusdem con-

contractus, quæ est traditio rei § *pretio autem, ibi, res tradatur, ut venditio ad effectum producatur Inst. de emt. vendit.* Ita etiam inter nuptias, quæ ex solo consensu constant, & earum consummationē, quæ ex coitu, item ex deductione mariti. Postremò posset quis exindè probare, concubitum etiā facere nuptias. Quippè quod aliàs de necessitatate concubitus non requireretur; Et quod etiam inter fugidos & qui potestatem coeundi non habent, si saltem consentirent, consistere posse matrimonium, quod tamen falsum est *tot. tit. Ext. de fugidis & maleficiis 7.* Sed hic respondendum est, distinguendo inter personas habiles & inhabiles. De illis enim, quemadmodum omnes dispositiones accipi oportet *l. ut gradatim 11. ff. de munerib. & honorib.* Ita etiam hanc regulam nostram accipiendam esse.

AD L. XXXI.

Verum est, neq; pacta, neq; stipulationes factū posse tollere, quod enim impoßibile est, neq; pacto, neq; stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere poßit.

PActa & conventiones sunt modi & quædam vincula, quibus homines ad aliquid dandum vel faciendum, vel præstandum astringuntur *l. 3. ff. de obligat.* sed hoc eatenus verum esse docet Ulpianus *in hac lege:* quatenus possibile est, ut quid à nobis præstetur vel fiat. Nulla ergò conventione effici potest, ut quod factum, possit tolli, h. e. pacta & stipulationes non possunt id quod 1.

factum est, infectum reddere, ut nimirum non sit, quod est: & nulla est ex hujusmodi stipulatione pactove in continenti apposito, harum rerum actio. Addit Ulpianus rationem: *Quod enim impossibile est, neq; pacto, neq; stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit*. h e. si id quod impossibile est, pacto vel stipulatione non comprehenditur, neq; hoc nomine aut stipulatio, aut pactum utile esse potest, nec indè obligatio nascitur, nec actio. Sic impossibilis conditio stipulationi adjecta, si in faciendo consistit, ut si cœlum digito tetigeris, dare decem spondes? stipulationem reddit inutilem, h e. ex contractu hoc stipulationis nulla nascitur actio, quia impossibilium nulla est obligatio *l. impossibilium 144. h. tit.* Eorum itaq; verborum, *ut utilem actionem, vel factum efficere possit*, hæc est sententia: Ea quæ facta sunt, per pactum aut stipulationem, ut ne facta sint, caveri non posse. Esse enim impossibile, ut quod factum est, tali cautione fiat infectum; & ideò si fortè id fiat, neq; actionem utilem h. e. efficacem ex hujusmodi stipulatione nasci posse, nec pactum utile, h. e. exceptionem & obligationem naturalem fore, sed prorsus inane. Adeoq; impossibile non fit possibile. Nam id quod rerum natura fieri non patitur, non potest hominum conventione naturam suam mutare, ut ex impossibili fiat possibile.

2. Cæterùm quod diximus, facta infecta esse non posse; id procedit, rei veritate inspecta. Sed tamen

men fictione juris infecta cēsentur eatenus, quatenus nullum effectum de jure sortiuntur. Sic quæ contra jus fiunt, debent utiq; infecta haberi, quoad effectum juris *C. quæ contra 64. de reg. jur. in 6.* Et Impp. Theodosius & Valentinianus ea quæ jure prohibente facta sunt, pro infectis haberi volunt *l. non dubium 5. C. de legib.* Qui itaq; contrahunt, lege contrahere prohibente, quodcunq; factum, pro infecto habetur; atq; ita nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractū inter eos subsecutū pronunciamus *d. l. non dubiū.*

AD L. XXXII.

Quod attinet ad jus civile, servi pro nullis habentur, non tamen & jure naturali: quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt.

QUod attinet ad jus civile h. e. jus nostrum commune, quod constat ex sex partibus scripti juris §. *constat. Instit. de jure nat. gent. & civil.* Servi pro nullis habentur, h. e. nullius juris habentur, seu non sunt capaces juris civilis. Hinc servo instituto, oportet dominum adire *l. nullo 7. ff. ad L. Cornel. de fals.* Et servus ex persona domini sui tantum stipulatur *in pr. Inst. de stipulat. serv.* Servi etiam non possunt esse testes, nec ad solennia testamentorum adhiberi *l. qui testamento 20. § servus ff. qui testam. fac. poss.* Et in personam servilem nulla cadit obligatio civilis *l. in personam 22. sup. h. tit.* 1.

Jure tamen naturali, ut subjicit Ulpianus, pro 2.
nullo non habetur; quia jure naturali omnes ho-

mines sunt æquales, ejusdem atq; æquæ conditionis, si solam naturam respiciamus, qua omnes homines liberi nascebantur. Servi itaq; jure naturali omnes homines liberi nascebantur, uti dictum *l. manumissiones 4. de just. & jure l. 2. de natalib. restit.* Servitus contra naturale est: cum enim jure naturæ unum tantum genus hominum esse, sc. liberorum; postea instituto gentium esse cœperunt tria; ingenuorum, servorum & libertinorum. Hinc verò fit, ut servus, qui jure naturali incognitus est, obligetur naturaliter tantùm, non etiam civiliter *l. in personam servilem 22. h. tit.*

AD L. XXXIII.

In eo, quod vel is qui petit, vel is à quo petitur, lucrifacturus est, durior causa est petitoris.

1. QVoniam non videtur par eademq; ratio amittere debita, & lucra non captare, ut inquit Imp. *in l. fin. §. pen. C. de codicillis*. ideò de lucro & damno traditur hic thesis talis: *Quando duobus cōtendentibus, unus de lucro, alter autem de damno vitando certat, semper duriorem caussam esse petitoris.* Petitor est qui asserit, & ex sua assertione ad lucrum & victoriam contendit, sive is sit qui petit, sive is à quo petitur, ut loquitur *hæc lex nostra.*

2. Quis autem de damno vitando, & quis de lucro captando contendat, sive certet, exinde facilè colligitur, si sciamus; de damno vitando eum agere, qui in damno est, ut, ne suam pecuniam, aut sumtus neve operam in hunc finem, ut Reip. & alijs serviat, perdat; sed dat operam, ut pro ijs aliquam

quam remunerationem recipiat ex promissione *l. 9. de oblig. & act.* Quod si quis exiguum quid expenderit, & inde ultra dimidium ejus quod expendit, aliquid captet, is lucrum persequi videtur *arg l. 2. de resc. vendit.* At lucrum captat, qui acquirere sibi vult, cum nihil expenderit de suo, neq; ullam operam utilem Reip. præstitit: ut accidit in eo, qui pecuniam sibi ab alio debitam persequitur *l. apud 4. §. auctoris 20. ff. de doli mali except. l. servus 7. in fin. ff. de serv. export.* Item qui hereditatem vel legatum petit. *§. si res aliena vers. quod habet ex ea causa Instit. de legat. Fab. ad l. 41. § 1. h. tit.* ubi scribit ex Aristotele *lib. 5. Ethic.* lucrũ esse, cùm quis plus suo habet: Lucrum facere, quando aliquis plus obtinet quàm suum: Damnum verò accipere, qui minus obtinet, quàm ab initio habuerit.

Sententia itaq; hujus legis est: Quod duobus de re aliqua contendentibus, durior seu deterior sit conditio petitoris h. e. ejus qui lucrum petit, sive de lucro captando certet, sive sit actor, sive reus. Ideoq; si actor certat & contendit de lucro captando, reus autem de damno vitando, vel cõtra: Si reus contendit de lucro captando, actor verò de damno vitando, præfertur is qui de damno contendit, h. e. qui damnum vitare conatur. Et idem est quod tradit Ulpianus *in l. non debet actori 41. § ult. h. tit.* In re obscurâ melius est favere repetitioni, h. e. petitioni ex oneroso titulo, quàm adventitio lucro, h. e. petitioni ex 3.

caussa

causa lucrativa, Hinc fit V. G. ut res legata, quæ ab herede tradita est legatario, qui lucrum captat, possit iterum ab eo repeti ad satisfaciendum creditoribus, qui de damno certant *l. si quis non sortem ff. de condict. indeb.* Undè patet, hanc thesin amplificari & procedere, etiamsi prius ei qui lucrum captat, res tradita sit, ut i multis declarat Gabrielius *lib. 3 comm. concl. tit. de emt. vendit. concl. 2. n. 32.*

4. Sanè si uterq; tam actor quàm reus agunt de damno vitando, ut quia ambo eandem rem emerunt, aut de lucro captando, ut quia duobus eadem res donata est, tùm præfertur is qui possessionem prius nactus est *l. quoties 15. C. de rei vendic.* Hinc ex duobus rei emtoribus præfertur is, qui prius rem traditam accepit *l. si ea res 31. § ult. de act. emti l. 9. §. si duobus ff. de public. in rem act.* Et quoties in solidum duobus prædium jure h. e. à domino distrahitur, manifesti juris est, eum cui priori traditum est, in detinendo dominio esse priorem *d. l. quoties.* Et ex duobus emtoribus, primus qui rem emtam signavit, præfertur secundo cui res tradita est: quia signatura est loco traditionis, & per eam dominium in signantem transfertur *l. quod si neq; 14. § fin. ff. de peric. & comm. rei vend.* Et hoc est quod dicit Paulus: In pari causa possessor potior haberi debet *l. in pari 170. h. tit.* Et Ulpianus, cùm de lucro duorum quæritur, melior est causa possidentis *l. nemo prædo est 168. § fin. h. tit. & c. pari 65. Ext. de reg. jur. in 6.*

5. Sanè Ecclesia vel civitas quæ prior emit, præfertur,

fertur, quamvis alteri res postea vendita & tradita fuerit. Nam in Ecclesiam & civitatem transit dominiũ absq; traditione *l ult. C. de SS. Eccl. Gail. 2. obs. 55. per tot. Gabriel. lib. 3. conclus. tit. de emt. vendit. concl. 2.*

Quando itidē uterq; de damno vitando certat, non præfertur is qui possidet, si jus reale antiquius probare possit, is qui non possidet, prout declarari potest ex *l. 1. vers. sed ita C. si antiquior creditor. pig. vendid.*

AD L. XXXIV.

Semper in stipulationibus & in cæteris contractibus id sequimur quod actum est: aut si non pareat quod actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergò si neq; regionis mos appareat, quia varius fuit: ad id quod minimum est, redigenda summa est.

IN hac lege JC. docet, quomodo contractus inter duos vel plures initi, in dubijs sint interpretandi. Dicit itaq; Ulpianus: *In omnibus contractibus inprimis id sequimur quod actum est*, h. e. de quo contrahentes senserint, aut de quo nominatim & expressè inter eos convenit: idq; & Proculus docet *in l. nepos Proculo 125. de verb. sign.* Et si ita constat, quid actum sit, id ipsi etiam scripturæ de negotio confectæ præferimus. Veritas enim omnibus præferenda est, etiam scripturæ *gl. in c. ego dist. 9.* 1.

Secundò si non pareat quid actum, *erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in quâ actum est, frequentatur, h. l. n.* h. e. tunc id inspicimus quod 2.

in ſimili negotio fieri ſolet ſecundum conſvetudinem & uſum regionis, in qua eſt actus celebratus. Nam conſvetudo eſt optimus interpres, quatenus ea non eſt legibus contraria. *l. ſi de interpretatione ff. de legib.* Et hùc pertinet *l. in obſcuris 114. h. tit.* Exemplum eſt *in l. ſi neceſſarias 8. de pign. act. & in l. ſi pactum 9. de probat.* Ubi pactum ſimpliciter ſine mentione heredis factum, etiam cõmodo heredis cedit: quod plerunq; quis tam heredi ſuo, quàm ſibiipſi caveat *Weſenb. in §. omnis ſtipulation n. 5. Inſtit de verb. oblig.* Similiter ſi aurei promiſſi ſint decem, nec adjectum, cujus valoris eſſe debeant, cum varij ſint: ejus valoris aurei intelligendi erunt, qui in eo loco, ubi promiſſio facta eſt, in uſu ſunt. Nam veriſimile eſt, contrahentes morem in ea regione uſitatum reſpexiſſe *l. quod ſi nolit 31. §. quia aſſiduè ff. de ædilit. edict.*

3. Si itaq; hic Gryphiswaldi quis vendit vinum 20 florenis, nec expreſſè dicit, quos florenos putet: poſtea vult Rhenenſes ſibi dari, judex ſecundum regulæ hujus normam pronũciabit, pro conſvetudine & uſu hujus loci, de moneta ruſuali, florenis ſc. illis, quorum ſinguli XXIV. ſolidis Lubecenſibus conſtant.

4. Tertiò ſi non apparet quod actum eſt neq; de regionis conſvetudine conſtat, quia mos varius fuit, *ad id quod minimum eſt, redigenda ſumma* h.e. ſi non uno & eodem modo in loco ubi actum eſt obſervatur, ſed variè, nunc hoc, nunc illo modo, tunc id quod minimum eſt ſequimur; vel ſequimur

mur eam consvetudinem, quæ pro reo facit, minimeq; ei nocet. Et hoc est, quod idem Ulpianus dixit, semper in obscuris quod minimum est sequimur. *l. semper 9. sup. eod.* V. G. Hic in Pomerania vendidit quidam domum suam mille marcis, nec expressit quas marcas intelligeret; postea petit marcas Lubecenses: Hic non constat quod actum sit, & non convenit nominatim inter contrahentes de marcis Sundensibus vel Lubecensibus: Deinde etiam usus regionis varius est: quia in hac regione utimur tam marcis Lubecensib9 quâm Sundensibus. Ergò hoc casu pronunciabitur, quod tertio loco inspiciendum in contractibus, ad id quod minimum est, summam redigendam esse, h. e. debitorem tantum ad solutionem marcarum Sundensium teneri.

Idq; non solùm in stipulationibus & contra- 5.
ctibus, sed etiam in legatis ac testamentis, itemq; sententijs judicum obtinet. Ratio regulæ in contractibus est; quod nemo suum jactare præsumitur *l. cum de indebito 25. ff. de probat.* Hinc ei qui X. aut XV. stipulatus est, decem duntaxat debentur *l. si ita 109. de verb. oblig.* Quia semper in summis id quod minus est sponderi videtur, teste Paulo *in l. inter stipulantem 83. § diversa d. tit. de V. oblig.* Ratio regulæ in ultimis voluntatibus est, quod in quo præjudicium versatur alicujus, dispositio minimè lædere videatur, idq; ex natura beneficij *c. nunc. in quib. caus. fund.* Præterquam si pijs locis aliquid relictum sit; tunc enim in dubio optimum

mum relictum videtur *l. Titia 38. §. seja. ff. de auro & arg. leg.* Quod utilitatis causa receptum est *arg. l. ita stipulatus 115. §. 2. de verb. oblig.* Si itaq; quis duos habens fundos ejusdem nominis legavit unum ex his, tunc si alter est pretij majoris, alter verò minoris, dicendum est in dubio, legatum minorem fundum, si majorem legatum esse, non potuerit docere legatarius *l. cum servus 39. §. scio. de legat. 1.* Sic nummis indistinctè legatis, nulla Ic. facta nummorum distinctione, hoc receptum est, ut exiguiores legati videantur, si neq; ex consvetudine patrisfamilias, neq; ex regionis, unde fuit, neq; ex contextu testamenti possit apparere, majores legatos esse. *l. nummis 37. de legat. 3.* Idem quoq; obtinet in sententijs judicum & pœnis, ut id quod minimum est sequamur *l. diem proferre 27. §. si plures ff. de recept. l. inter partes 37. §. ult. ff. de re judic.* Ratio est: quod ad humanitatem magis, quàm ad severitatem nati esse videamur.

7. Atq; inde respondetur, quòd benigna interpretatione legum, pœnæ molliendæ sunt potius, quā asperandæ *l. pen. de pœnis.* Si itaq; ex tribus judicibus unus reum condemnet in quindecim, alter in decem, & tertius in quinq; : sola quinq; præstabūtur: quoniā omnes in hanc summam consenserunt. *d. l. diem proferre 27. § si plures vers. inde quæritur ff. de recept.*

Semper itaq; in obscuris quod minimū est sequimur: nisi rerū natura aliud postulet, & speciali lege aliud definitum fuerit *Cujat. 12. obs. 16. Tessant. decis. 1. n. 10.*

A D

AD L. XXXV.

Nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvere, quo colligatum est: ideò verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.

NIhil tam firmum, stabile, & perpetuum manet, quin tandem vel sui natura, vel temporis diurnitate non deficiat *l. foramen. de servo nob. præd.* Nov. 7. Et quidem ut certis modis quid incipit, ita etiam certis modis quid esse desinit. Sed cum universi penè juris primordia ex naturali ratione (quam Imp. jus gentium appellat *in § jus autem gentium Instit. de jure nat. & civ.*) promanarunt, nihil tam naturale sive naturali rationi consentaneum antiquis juris prudentibus visum est, quàm eo genere quidquam dissolvere, quo colligatum est: sive ut quo genere negotia esse cœperunt, eò rursus dissolvantur. Huic legi consentit Cajus *in l. omnia 100. h. tit.* ubi ait: Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure perire: & Paulus *in l. ferè 153. eod.* eandem obligationis ac liberationis rationem statuit, ita videlicet, ut quibuscunq; modis obligamur, ijsdem ferè in contrarium actis liberemur: cum quibus modis acquirimus, jisdem in contrarium amittamur. 1.

Ulpianus regulam per exempla declarat. Et ideò, inquit, verborum obligatio, verbis tollitur: consensus obligatio, contrario consensu dissolvitur: Quod tunc obtinet, si modò omnia adhuc sint integra, ut ostendit textus *in §. ult. Instit. Quib. mod.* 2.

mod. re contrah. oblig. Nam si res integra amplius non sit, sed ad consensum subsecuta est traditio, non amplius hi contractus nudo dissensu dissolvi possunt. Et ita emtio venditio, quia nudo consensu contrahitur, contrario consensu resolvitur, si res non fuerit tradita, *l. emtio & venditio 3. de rescind. vendit.*

3. Hæc regula quoq; tunc locum non habet, si rei natura & qualitas aliud postulare videatur, ut in matrimonio responsum est *c. 2. Ext. de translat. Episc.* licet enim matrimonium nudo consensu cõtrahatur, *l. nuptias sup. h. tit.* non tamen hodiè statim mutuo dissensu dissolvitur *Nov. 117.* quam olim secus erat *l. si constante 9. C. de repud.* Atq; ita matrimonium etiam re adhuc integra, copula sc. nondum subsecuta, mutuo consensu non potest dissolvi, licet solo & nudo consensu constituatur, nec concubitus de substantia ejus requiratur.

4. Obtinet itaq; hæc regula in contractibus, ut ex adductis exemplis patet. Quibus etiam alia addi possunt. Nam sic obligatio re contracta, non nisi per restitutionem vel solutionem rei dissolvitur, *l. prout quidq; 80. de solut.* Sic si cùm ego scripsissẽ, decem mihi à Titio numerata, dato ei chirographo: ille postea alio suo chirographo rescripsit mihi, non fuisse numerata; hic obligatio, si quæ fuit, sublata est, opposita sc. exceptione non numeratæ pecuniæ: quamvis regula hæc loquatur tantùm de obligatione ex contractu tollenda ipso jure *Cujat. h.*

Nec

Nec solùm in contractibus, sed quibusvis etiã civilibus actibus locum habet hæc regula, *uti docet l. omnia 100. h. tit.* Hinc ad solennis testamenti revocationẽ totidem testes requiruntur, quot ad confectionem istius jura exigunt *arg. § pen. Instit. Quib. mod. testam. infirm.* Dixi, *civilibus actibus*. Nã secus est in matrimonialibus, & alijs actibus spiritualibus, quibus character spiritualis impressus est: cujusmodi spiritualia facilius constituuntur quàm dissolvuntur *c. inter corporal. 7. Ext. de translat. Episc.* Unde, ut ibi dicitur, solus Episcopus honorem dare potest, solus auferre non potest. *Dec. ad h. l. n. 7. & 8.*

AD L. XXXVI.

Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti.

SEntentia hujus legis est: Qui id facit, quod facere non debet, tenetur de culpa; seu tenetur de damno per culpam alteri illato. Stulticiæ enim hoc est, & curiositatis non ferendæ, immiscere se rei alienæ h. e. negotio aut etiam officio alieno, ad se curamq; suam nihil pertinenti. Habet ergò locum hæc regula in curiosis, qui contra officium temerè se negotijs alienis offerunt: veluti; si Ecclesiasticus secularibus causis, aut laicus Ecclesiasticis negotijs sese immisceat *c. lator 5. Qui filij sint legitt.* 1.

Non etiam in ijs, qui benignitatis atq; officij causa ad ea accedunt: cùm id laudi potius quàm culpæ tribui debeat; adeoq; tantum abest, ut of- 2.

 ficij

ficij præstatio per regulam nostram prohibeatur, ut etiam JCtus dicit, hominis interesse hominem beneficio affici *l. servus ff. de servis expert.* modò utiliter *l. 2. de negot. gest.* & peritè *l. illicitas §. pen. ff. de offic. præs.*

3. Non habet itaq; hæc regula locum in negotiorum gestore, de quo traditur, quod non solùm culpam levem, verùm etiam levissimam præstare teneatur, *de quo dictum sup. ad l. contractus.* Ubi etiã dictum est, culpam committi in faciendo, & non faciendo sive omittendo. Culpæ, quæ in non faciendo committitur, seu cùm quis facit, quod facere non oportet, imperitia adnumeratur *l. imperitia 132. h. tit.* Et ob id si quis medicinæ ignarus, pro medico sese venditet, & aliquem medicamẽtis perperã adhibitis occidat, vel lædat, ille, quia id asseruit, quod ignoravit & ad se pertinere non potuit, de culpâ tenetur, seu tenetur de damno, alteri per culpam & imperitiam illato *§. Instit. de L. Aquil.* Sic Assessor qui se peritum asserit, & per imperitã in pronunciando labitur, de hac imperitia tenetur *l. 2. ff. quod quisq; juris in aliũ statuerit.*

AD L. XXXVII.

Nemo, qui condemnare potest, absolvere non potest.

1. SEntentia *hujus legis* est: Quod omnis qui potest condemnare, possit etiam absolvere. Cum qua sentit JC. Paulus in *l. qui damnare 3. ff. de re jud.* Qui damnare potest, is absolvendi quoq; potestatem habet. In vulgatis libris *hæc lex* ita legitur:

Nemo

Nemo qui condemnare nō potest, absolvere potest. Et ita hæc regula à contrario sensu definitur: Eum, qui non potest condemnare, non posse etiã absolvere: seu qui non habet potestatem condemnandi, illum quoq; non habere potestatem absolvendi. Idem docet Ulpianus *in l. solent 6. in fin. princ. ff. de offic. procons. & legat.* Omnis itaq; qui potest condemnare, potest etiam absolvere: uti regula est affirmativa in lectione Florentina, & in *d. l. qui damnare 3. de re judic.* Quod verum est in genere, non in individuo. Non enim hoc vult regula nostra, ut judici liceat Titium tanquam individuum unum in una eademq; causa pro suo libitu vel condemnare vel absolvere: quod fieri non potest, propterea quod in quibus casibus absolutio justa esset, in ijs cōdemnatio esset injusta; & contra: quod utrumq; vitandum est *l. perspiciendum est 11. ff. de pæn.*

Pro vero intellectu hujus regulæ Felinus *in c. 2. cum inferior 16. n. 4. Ext. de Majorit. & obed.* ita infert: Quod si alicui à principe cōmittatur causa, ut Titium, si eum debitorem Semproni j esse appareat, condemnet; & eveniat, ut ex causæ istius examinatione constet, Titium non esse debitorem, tunc non sit necesse hoc referre ad principem, sed possit vi istius mandati de condemnatione solummodò loquentis, Titium absolvere. Unde facilè colligitur, hanc regulam loqui de condemnatione & absolutione, quæ consistit in causæ cognitione, & sentētiæ postea pronuncia-

tione *l. 1. de re judic.* Quocirca eam non extendi debere ad eum, cui tantum nudum ministerium executionis demandatum est: Siquidem ejusmodi executor, si agnoscit ejus, contra quē executio fieri debebat, innocentiam, non potest, nec debet eum absolvere, sed mandanti judici hoc significare *gl. fin. c. pervenit 7. qu. 1. & gl. 1. d. c. cū inferior 16.*

3. Cæterùm quod ex natura correlativorum is qui absolvere potest, idem possit etiam condemnare, illud non obtinet *in l. quoties 3. C. Ubi senatores vel clariss. civiliter vel criminaliter conveniātur.* Ubi Zeno Imp. constituit, obtinentes dignitatē illustrem ex præcedenti administratione in causis criminalibus arduis, in quibus non admittitur procurator, solum coram Principe, vel cui princeps commisit, posse accusari. Et commissarium principis posse quidem eos absolvere, sed non condemnare principe inconsulto *Pet. Fab. ad h. l.* Quod ipsum personarum honori indultum est, ut scilicet accusatæ absolvi quidē possint ab eo qui de crimine cognovit, damnari verò non possint, nisi certo modo constitutionibus præfinito.

4. Simile privilegium tributum est à Principe Justiniano, Clericis, quos, si in causa dānationis erunt, prius à proprio Episcopo gradu dejici, & sacerdotio nudari oportet, antequam ad damnationem à civilibus judicibus perveniatur *Nov. ut Cler. apud prop. Episc. § si tamen & Nov. de Sanctiss. Episc § si quis contra 21. § si verò omnem.* Vulgus nunc vocat degradationem.

De

De regula negativa, ut qui non possit conde- 5.
mnare, non possit absolvere, videatur Decius itemq; Cagnolus *hic*, qui eum satis manifestè explicant. Illud tamen addi potest: An qui non potest absolvere, vel non condemnare, possit absolvendum vel condemnandum pronunciare? Dubium facit, quod sententia à judice lata, *Ego pronuncio illum condemnandum esse, vel absolvendum*, non valeat *Marant. in praxi p. 6. § sententia n. 125.* At eum qui non potest condemnare neq; absolvere, nec condemnandum neq; absolvendũ posse pronunciare disputando declarat Franc. Sarmientus *lib. 1. select. interpret. cap. 14.*

AD L. XXXVIII.

Sicuti pœnâ ex delicto defuncti heres teneri non debeat; ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum pervenisset.

HUjus legis duo sunt membra: 1. Heres ex delicto defuncti non tenetur. 2. Heres etiam ex delicto defuncti lucrum facere non debet, si quid ex ea re ad eum pervenisset.

Sentenția itaq; regulæ est: Quemadmodum 1.
heres non punitur ob delictum defuncti, sive nil incommodi inde sentit, ita vicissim etiam ex delicto defuncti nullum cõmodum capere debet.

Circa primum itaq; si quis quærat; an heredi ob delictum defuncti, pœna aliqua, qualiscunq; illa sit, irrogari debeat? Respondet ei Ulpianus *h. l.* negativè: eò quod pœnæ suos authores tenere debeant *l. Sancimus 22. C. de pœn.* Et unusquisq;

ex suo admissi sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur *l. crimen 26. ff. de pœn.* Sanè si pœnales actiones ex delictis privatis competentes, ab ipsis principalibus personis ante mortem contestatæ sint, tunc illæ pœnales actiones heredibus dantur, & contra heredes transeunt *§. pen. Instit de perp. & temp. act. l. omnes 26. de oblig. & act. l. pœnales 64. h. tit.* quia post litem contestatam perpetuatur obligatio *l. nam posteaquā § 3. de jurejur.* ut velut ex suo contractu heres conveniri videatur: quippe per litis contestationem quasi contrahitur *l. 3. §. idem scribit. ff. de pecul.* Dixi, *in privatis delictis.* Quia in delictis publicis, etsi lis cum principalibus personis contestata sit, tamen actiones nō transeunt ad heredes, sed morte defūcti expirant *Gail. lib. 1. de pace publ. obser. 20.*

2. In altero membro docet JC. heredem ex delicto defuncti non debere lucrū facere. Et rectè. Si enim heres ex delicto defuncti non sentit incommodum, h. e. heres non potest pœna à defūcto commissa puniri, vicissim quoq; non debet heres ex delicto defuncti commodum sentire *per l secundum naturam 10. h. tit.* Licet autem pœna ad heredes non transeat; tamen quod ex delicto vel maleficio defuncti ad heredem pervenit, de eo, etiamsi lis cum principalibus personis non fuerit contestata, pœnali actione tenetur & conveniri potest *l. in heredem 26. ff. de calumn.* Licet is etiam eo tempore, quo convenitur, nihil amplius penes se habeat, modo aliquando habuerit *l. cum Prætor*

127. h.

127. *h.tit. Lazar Fœnut. in tract. de momento cap.32.* Nam constitutum est, turpia lucra ab heredibus quoq; extorqueri, licet crimina extinguantur *d. l. in heredem ff. de dolo.* Et quod turpiter vel scelere quæsitum est, ad compendium heredis non pertinere *l. quod diximus 16. §. ult. ff. Quod met. caus.* Deniq; si moriens confiteatur, se librum Titio abstulisse, tunc etiam heres tenetur, licet res ablata ad eum non pervenerit. *Franc. in c. speciali §. porro vers. tertiò quæritur Ext. de appellat.*

AD L. XXXIX.

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium moræ sit, quo minus fiat.

SEntentia *hujus legis* est: In omnibus causis, fi- 1.
ctione juris pro eo quod rectè factum est, accipitur id quod ab eo, cui data est faciendi authoritas, factum fuisset: nisi is cui utile erat, non fieri, impedivisset, quo minus fiat, quod fieri necessum est. Et notandum est, in lectione hujus regulæ genitivum *moræ*, poni pro nominativo *Mora*, seu *quid moræ sit.* Ex hac itaq; regula deducitur: Si creditor aut actor in mora sit, debitorem ac reum fecisse videri *l. 1. §. 3. ff. de eo per quē fact. & l. fundi venditor 33. de acq. vel amitt. hered.* Sic conditio habetur pro completa, si per debitorem fiat, quo minus impleatur conditio *l. in executione 85. §. ult. de verb. oblig.* Et si quis promittat sub conditione, & curet ne conditio existat, lex ait, eum teneri, perinde ac si impleta esset *l. 24. §. Julianus ff. de condit. & demonstrat.* Ratio autem cur

conditio pro impleta habeatur, si per moram alterius steterit, quo minus impleretur, hæc est: Quod quivis actus ita interpretãdus sit, ut, quoad ejus fieri potest, potius valeat, quàm pereat *l. ubi est 21. ff. de reb. dub.* Et aliàs ratio juris non ferat, ut cujusquam factum alteri noceat, eo præsertim casu, ubi ad facientis emolumentum illud nõ redundat, uti videre est ex *l. de pupillo 5. §. si plures ff. de oper. novi nunciat. l. factum 155 h. tit.* si itaq; promisi, pœnâ dictâ, quod certo die aliquem in judicio sistere vellem: sed tuo dolo factum est, quo minus id facerem: ideoq; si me ex stipulatu actione conveneris, ego te exceptione repello, *per hanc legem nostram.* Idq; ex lege æquitatis, ut factum suum cuiq; non adversario noceat *d. l. factũ 155. h.* neve alieno odio quis prægravetur, qui ipse extra culpam est *arg. l. si quis suo C. de inoffic. testam.* Sic quoq; si creditor moram fecerit, in accipiẽdo, & debitor oblatam pecuniam perdiderit, *l. obsignatione C. de solut. l. si soluturus 29. de solut.* perinde habetur, ac si solutio revera intervenisset *l. ult. C. de pignorat. act.* recteq; debitor pignoratitia aget *l. aliena 20. § 2. de pign. act.* nec usuras præstabit *l. debitor ff. de usur.* Si modò oportuno loco & tempore id quod debetur, offeratur *d. l. obsignatione ubi Dd. C. de solut.*

2. Cæterùm in veteri exemplari hæc regula ita legitur: *In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo quis olim perhorrescit, quo minus fiat.* Quæ lex, si ita legatur, hanc habet sententiam: Quod pro facto

habea-

habeatur, illud, quod factum non fuit, propter justum metum ac terrorē. Exemplum est *in l. ult. C. de his qui per met. jud. non appell.* ubi appellationem ob metum judicis severi omissam, Imperat. Julianus, pro interposita haberi vult: dummodò is, qui appellare debuit, intra tempus appellationi præfixum, solenniter protestatus sit, se absq; periculo appellare non potuisse.

AD L. LX.

Furiosi, vel ejus cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.

IN hac lege instituitur æquiparatio furiosi cum prodigo: quemadmodum *in l. in negotijs 5. h. tit.* JCtus confert furiosum cum pupillo: ubi etjam de furioso dictum est. Æquiparatur autē furiosus cum furioso, non simpliciter, sed secundū quid, scilicet, quoad rerum seu bonorum alienationem, *Connanus lib 6. comment. cap. 6.* Nam licet prodigi non sint naturâ furiosi, in bonis tamen suis alienandis sive diminuendis prodigus furiosum habet exitum, *ut est in l. his qui 12. §. ult. ff. de tut. & curat. dat.* Verùm extra bonorum administrationem, prodigus, non furioso, sed pupillo, vel minori similis habetur; cùm contrahendo sibi obligationem acquirere, suamq; conditionem meliorem facere possit, nō minus quàm pupillus, teste Ulpiano *in l. certi condictio 9. §. sed et si ei. ff. de reb. cred. & in l. is cui 6 ff. de verb. oblig.* Est autem hic sermo de hujusmodi furioso, qui perpetuo furore agitatur, sive qui continua mentis alie-

alienatione omni intellectu caret *l. Divus Marcus 14. de offic. præs.*

2. Per verba, *vel ejus cui bonis interdictum est*, Pomponius describit Prodigum. Estq; prodigus, qui neq; tẽpus neq; finem expensarum habet, sed sua bona dilacerando & dissipando profundit *l. 1. de curat. furios.* cui prodigi per prætorem urbanũ bonis interdicebatur, hac formula: Quando tu tua bona dilapidas, eaq; disperdis: eo ære commercióve tibi interdico. *Paul. lib. 3. sentent. tit. 1. Valer. Max. lib. 3. cap. 5. & lib. 8. cap. 6.* Hac facta interdictione bonorum, prodigus interdum furioso comparatur, qui promittendo ne naturaliter quidem obligatur: unde & pro prodigo fidejussor intervenire non potest, sicut nec pro furioso *l. 6. de oblig. l. fidejussor 16. § fidejussor ff. de fidejuss.* Interdum etiam prodigus comparatur pupillo in eo quod nihil potest alienare, non potest testamentum vel codicillos facere: sibi tamen acquirere, & ex alienis testamentis capere, & alios sibi obligare potest *d. l. cui bonis 6. de verb. oblig. l. 18. ff. Qui testam. fac. poss. l. 9. §. sed etsi ff. de reb. cred.*

3. Atq; ita hoc in loco, uti furiosi ita & ejus cui bonis interdictum est, h. e. prodigi, nulla voluntas esse dicitur, h. e. furiosus, & prodigus, cui bonis interdictum est, non possunt contractum aliquem inire, in quo alteri obligentur: quia nulla eorum est voluntas sive consensus & affectio, quæ in omnibus contractibus desideratur *l. 1. de pact.* Et nulla est voluntas, sc. in amittendo & alienando; non

non in acquirendo: quia deteriorem suam conditionem facere non possunt; meliorem autē possunt. Ratio omnium est: quod cum lex sit domina vitæ humanæ *l. 2. de legib.* & magistratus sit custos, non modò totius Reip. sed etiam singulorum *Cic. 2. offic.* & præterea Reip. intersit, ne quis re sua malè utatur & abutatur *§. 1. Instit. de his qui sunt sui vel al. jur.* diligenter sanè hisce personis, in quibus aliqua judicij infirmitas esset, perspiciendum fuit, ne contra sua propria commoda laborantes, extremâ inopiâ afficerentur *arg. l. ne liberalitate sua inops fieri periclitetur 50. ff. de re judic. l. fin. C. de bon. quæ lib.*

AD L. XLI.

Non debet actori licere, quod reo non permittitur.

ULpianus hoc vult *in h. lege,* Actorem, sive eū qui prior ad judicium provocat, non esse melioris conditionis, quàm Reum: sed quæ Actori conceduntur, ea & reo permittenda esse. Cum enim in judicijs non sit habenda acceptio personarum *c. judicijs 12. de reg. jur. in 6.* debet etiam inter litigatores æqualitas observari, atq; unicuiq; suum jus tribui. *Nov. 8.* Hinc tam Reo, quàm Actori liberum est, jusjurandum deferre, vel delatum referre, & judex quoq; sententiam ferre jubetur adversus eum, contra quem juratum fuit, sive is actor sit, sive Reus *l. jusjurandum 34. § ult. ff. de jurejur.* Sic actor perindè ut Reus procuratorem ab se constitutum post litem contestatam nō nisi

causa

cognita mutare potest *l. post litem 17. in pr. & l. quæ omnia 25. de procurat.* Cum quo convenit textus *in c. non licet 32. Ext. de reg jur. in 6.* Non licet actori, quod Reo licitum non est. Quinimò aliquando favorabiliores Rei, quàm Actores habentur *l. favorabiliores 125. h tit.* idq; hanc ob caussam imprimis quod jura ad liberationem, de qua reus certat, propensiora sint, quã ad obligationẽ, quam Actor negat *per l. Arrianus 47 de verb oblig.* Unde etiam Reus actore non probante absolvendus est, quamvis ipse nihil ad sui defensionem probaverit *l. ult. C de probat.* Atq; ex eadem ratione Reo criminis capitalis dilationes tres conceduntur, quarum duæ saltem Accusatori dari possunt *per l. ult. ff. de ferijs.*

AD §. I.

In re obscura melius est favere repetitioni, quàm adventitio lucro.

2. IN præcedenti *lege 41.* dictum est; favorabiliores esse Reos, quàm Actores; sive benignius agendum cum Reis, quàm cum Actoribus. Ejus regulæ exceptio proponitur à JCto *in h. §. 1.* Quod sc. benignius cum Actore agendum sit, si is de dãno vitando, Reus autem de lucro adventitio certet: cujus exemplum quidam desumunt ex *l. si quis nõ sortem ff. de condict. indeb* Ait autem Ulpianus, *In re obscura* h. e. cum de actoris & rei jure non constat, *tum melius est favere repetitioni,* h. e. tum favemus illis, qui debitum, vel quid aliud ex oneroso titulo petunt, vel qui certant de damno vitando, *quã adven-*

adventitio lucro, h. e. ijs qui ex mera liberalitate creditoris, ex lucrativa causa, nempè ex testamento, donatione &c actionem sunt consecuti, sive agūt de lucro captando. Dicitur *adventitium lucrum*, quia non ex re ejus qui id facit, proficiscitur, sed aliunde sive extrinsecus præter spē advenit: quomodo & dos adventitia appellatur, quæ non à parentibus proficiscitur, sed aliundè obvenit.

Quamvis autem commodè *hic* §. *1.* Actori & Reo accommodetur; pluribus tamen actoribus simul concurrentibus, eandemq; rem ex diversis causis petentibus quoq; prodest. Ut ita dicamus, JCtum hoc quoq; velle, quod in ejusmodi casu, ubi inter diversi generis creditores dubium existit, cujus in solutione potior sit habenda ratio, judex eum qui suum reposcit, & ex contractu vel titulo oneroso experitur, præferre debeat illi, qui ex testamento, legato, donatione, vel ex alia quapiam causa lucrativa agit. Adventitium lucrum enim hic accipitur, pro quovis lucro, quod ex fortunæ liberalitate advenit *arg. l. cum oportet 6. in pr. C. de bon. quæ liber.* Hinc in distrahenda hereditate, si dubium sit, an solvendo sit, prius creditoribus, quàm legatarijs satisfaciendū est: quippe quod satis absurdum sit, creditoribus quidem jus suum persequentibus legitimum auxilium denegari; legatarijs verò, qui in lucro certant, subvenire, dicente Justiniano *in l. ult. §. sin verò creditores C. de jure delib.* Unde communiter Dd. inferunt, eo quoq; casu, quando duo

privi-

privilegiati inter se contendunt, uter alteri præferri debeat, potiorem esse causam illius, qui de damno vitando certat: cujus insigne exemplum extat *in l. ult. ff. Ex quib. caus Philipp. Matth ad h. l.* Et idem est quod Pomponius dixit; In eo quod vel is qui petit, vel is à quo petitur, lucri facturus, durior est causa petitoris *l. in eo 33. h. tit.* ubi hæc quoq; explicata sunt.

AD L. XLII.

Qui in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantiæ, an id quod peteretur, deberetur. *Fidejussores quoq; non minus quam heredes justam ignorantiam possunt allegare. Hæc ita de herede dicta sunt, si cum eo agetur: non etiam si agat, nam planè qui agit, certus esse debet, cum sit in potestate ejus quando velit, experiri: & antè debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.*

1. SUmma æquitatis lege hæc regula constituta, & in naturali justicia fundata est, ne quis alieno facto prægravetur *l. in causæ 27. ff de procurat.* Et ob id etiam in usu frequentissima est hæc regula, Ut quamvis heres loco defuncti de omnibus respondere cogatur, quia est successor in universum jus, vitiorum pariter ac virtutum *l. hereditas de verb. sign.* tamen id quod sua ignorantia, facti, puta, alieni, commissum est, sibi reo imputari non possit *l. liberorum ff. de his qui not. infam.* Idem etiam statuitur jure canonico *in c. cum quis 14. Ext. eod.* his verbis: Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere. Utrobiq; itaq; docemur; quod si quis ob debitum defuncti

functi convenitur, illum rectè debitum negare posse: et si neget, propterea non dici, illum esse in mora, vel in culpa, vel in dolo *l. 1. § fin. & l. seq. ff. depos.* ubi decidit Ulpianus: si heres rem apud testatorem depositam vel commodatam distraxit, ignorans depositam vel commodatam esse, cum dolo nihil fecerit, non tenetur. Sic quoq; si heres ex causa depositi damnetur, infamis non efficitur, quemadmodum ipse defuncti *l. 1. in fin. ff. de his qui not. infam.* Illum n. innocentia consilij tuetur, hunc fides violata arguit, contra leges fecisse *Alciat. in l. bona fidei ff. depos.* Atq; inde est, quod juramentum heredi ejus, cum quo contractum est, deferri non possit *l. Marcellus § jurare ff. rerum amot.* sed si cognovit heres rem esse alienā, incipit dolo malo facere, si eam reddere nō vult *l. si quis inficiatur 67. in pr. ff. de furt.* postquam facultatē restituēdi habet *l. in bonæ fid. 36. ff. de pecul*

Hæc verò ita in herede procedunt, si cum eo agatur in judicio, ut Reo, & convenitur ex facto 2. vel contractu defuncti; quia tum præter spem ad judicium trahitur, *ut dicitur in l. 2. C. de dilat.* Secus est, si heres, qui in locum alterius succedit, agit, sive actionem intentat: quo casu ignorantiæ prætextu nō juvatur; quia sibi imputare debet, quod alium judicio temerè, non explorato jure defuncti, fatigavit; cum prius quàm actionem instituit, diligenter secum de lite rectè instituenda deliberare debuisset *Menoch. de arbit. jud. quæst. casu 315. n. 10. & seqq.* Et de eo tradit JC. in fine *hujus legis*

his verbis: *Planè qui agit, certus esse debet, cum sit in potestate ejus, quando velit experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendū procedere.* Hinc Paulus JC. ait: Actorem in sua potestate habere, quando utatur suo jure; eum autem cum quo agitur, non habere potestatem, quando conveniatur; & ideò actionem de dolo, certo tempore finiri, exceptionem doli esse perpetuam *l. 5. § fin. de doli except.* Et simile est, quod docet Constātinus Imp. *in l. petendæ 6 C. de temp. in integ. rest.*

8. Quæritur, quid de fidejussoribus dicendum? JC. Cajus hic ait; Fidejussores quoq; non minus, quàm heredes, justam ignorātiam posse allegare. Si itaq; fidejussor à creditore conventus solverit pecuniam, cū ignoraret, eā à reo numeratam antea esse, aut sibi pacti de non petendo exceptionē competere; potest indebitum, mandati judicio repetere: ignoscendum enim est ei, si non divinavit debitorem solvisse *l. si fidejussor 29. in pr. ff. mandati l. si putatur ff. ad L. Aquil.* Debebatq; debitor certiorem fecisse fidejussorem de facta solutione, ne forte ignarus indebitum solvat *d. l. si fidejussor.* Et fidejussores sive agant, sive cum ijs agatur, ignorantiam justam ablegare non prohibentur *d. l. si fidejussor.*

AD L. XLIII.

Nemo ex his qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti: nisi lex impedit.

1. HIc iterum confirmatur, quod traditum est supra *ad l. 41.* ubi dictum, Reos actoribus esse favo-

favorabiliores Dicitur enim *hic*, Neminem ex his qui negant se debere, prohiberi etiam alia defensione uti, nisi lex impedit, h.e. Reus potest actionem adversus se intentatā negare, & simul potest aliam defensionē allegare, seu exceptiones plures etiam diversas opponere, quib9 intentionē actoris probatam elidat, veluti, Nego me debere, & si actor intentionem suā probat, oppono exceptionem pacti de non petendo, vel solutionis, Dixi, *si actor intentionem suam probet*. Quod si enim actor intentionem suam non probet, reo nulla defensione aliqua opus est: nam actore non probante, etsi reus nihil præstiterit, absolvitur *l. qui accusare* 4. C. *de edendo*. Ac ob id, siquidem intentionem actoris probatione deficere confidis, nulla tibi defensio est necessaria *l. siquidē* C. *de except*. Quod si reus intentionem actoris veram fatetur, exceptionem velut intentionem suam implere oportet *l. in exceptionibus 19. de probat.*

Sic in criminalibus sive delictis reus quoq; 2.
potest negare se delictum commisisse, & simul exceptionem peremtoriam opponere, hoc modo: Nego me occidisse; & si occidi, defendendi causa id feci. Similiter potest quis uti primùm exceptione aliquâ dilatoriâ, veluti exceptione procuratoria, aut etiam exceptione cautionis, vel declinatoria fori, aut recusatoria judicis. Et ubi hisce exceptionibus reus usus est, non prohibetur postea alias exceptiones perētorias, puta pacti, jurisjurandi, rei judicatæ, vel præscriptionis op-

ponere. Nemo enim prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint, ut ait Paulus *in l. nemo. ff. de except. & in l. is qui eod.* Idem traditur *in c. nullius 20. de reg. jur. in 6.*

3. Et hoc verum est, *Nisi lex impedit*, h. e. non potest quis plures exceptiones proponere ordine prohibito; sed ei qui vult pluribus exceptionib9 uti, necesse est, ut eas illo ordine proponat, quo jura eas proponi permittunt. Veluti, si quis exceptionibus dilatorijs & peremtorijs uti vult, illũ oportet dilatorias præmittere exceptionibus peremtorijs, & hunc ordinem non invertere. Si enim primùm proponat exceptiones peremtorias, & postea dilatorias, veluti declinatoriam fori, vel recusationis judicis, non auditur cum exceptionibus illis dilatorijs. Quia per objectum aliarum exceptionum peremtoriarum, videtur declinatoriæ fori, & recusationi judicis renunciasse, & sic tacitè in judiciũ consensisse *l. sed et si § 2. ff. de judic.*

Sic quoq; hodiè *ex Nov. 18.* is qui semel negavit se debere, postea si convictus fuerit, non potest tunc dicere se solvisse: sive non auditur solutionem allegans, quamvis verum sit, eum solvisse *Auth. contra C. de non numer. pec.* Et hæc est pœna mendacij sive inficiationis, ut sc. proponens causa cadat *l. fin. de rei vendic.*

4. Summa itaq; *hujus legis sive regulæ est*: quod ibi traditur de concursu exceptionum: licere sc. plures exceptiones proponere, nisi rex impediat. Quocirca sciendum est; quando lex impediat,

ut ex

ut ex præcedentibus exemplis constare potest. Licet itaq; exceptiones cumulare sine dubio, quæ sunt compatibiles; ut si conventus actione ex stipulatu, dicit, se nunquam antea cum actore collocutum: item eo tempore, quo actor stipulationem Lipsiæ celebratam esse dicit, se Noribergæ fuisse *§. item verborum Instit. de inutilibus stipulat.* Hæ & aliæ ejusmodi possunt proponi multæ, nisi lex impedit *l. is qui ff. de except.* sed contrarijs simul & copulativis uti, leges vetant. Ut si fidejussor conventus se primò negat fidejussisse, & postea exceptionem divisionis simul proponat, is non auditur. Quia in prima exceptione negat, quod in posteriore fatetur, & propterea non potest *simul copulatè* proponi *l. si dubitet 10 § ita demum ff. de fidejuss.* Imò in his & similibus caussis plerumq; locum habet pœna mendacij, uti modò dictum. *Sed disjunctivè* ejusmodi exceptiones proponere licet, sint contrariæ *Dynus in. c. nullus 20. num. 8. de reg. jur. in 6.*

AD § I.

Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, unà quis experiri debet.

IN præcedenti regula traditum est, licere pluribus exceptionibus uti, nisi lex impediat: idq; propter naturalem illam causam defensionis. Secus autem est in actionibus, quæ ad oppugnandum sunt constitutæ sive comparatæ. Naturalior enim est defensio, quàm actio, accusatio seu oppugnatio *l. ut vim ff. de just. & jure l. Arrianus ff. de oblig.* 5.

& act. Actionum itaq; non est ea cumulandi ratio, quæ est exceptionum. Sed qui ejusdem rei nomine in unam& eandem personam plures habet actiones, nō potest omnibus experiri, sed necesse est, ut ex omnibus unam eligat, quâ experiatur, sive judicium contestetur, adeò ut unâ electâ, ad alias ipsi via sit præclusa. Unde Ulpianus *hoc loco* dicit, *Quotiens concurrũt plures actiones ejusdem rei nomine, una tantum quis experiri debet.* Rectè autem Ulpianus dicit: *Actorem ejusdem rei nomine pluribus actionibus non posse experiri.* Quia diversarum rerum nomine plures actiones competere possunt, nec altera alteram consumit. Et si actum sit communi dividundo, non tollitur actio pro socio *l. si actum sit 43. ff. pro socio.* ubi additur ratio. Sic rei communis nomine cum socio furti agi potest, si per fallaciam dolove malo amovit, vel rem communem celandi causa contrectat; sed etiam pro socio actione tenetur; nec altera actio, alteram tollet. Idemq; in omnibus bonæ fidei judicijs dicendum est. *l. rei communis 45. ff. pro socio.* Nam actio bonæ fidei ad rei restitutionem respicit; furti autem judicium ad pœnam *l. sed actione 50. ff. pro socio.* sic & plurium delictorum in diversis rebus admissorũ, plures actiones simul movere possumus *l. 2. de privat. delict.* At si unius rei plures actiones & ex una obligatione concurrant, una tantùm experiri licet, *de qua l. nunquam 172. h. tit. & ibi interpp.*

AD L. XLIV.

Toties

Toties in heredem damus actionem, de eo quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur; non quoties ex suo.

IN hac regula Ulpianus agit, quid juris sit, si ipse heres deliquit, aut dolum commisit, nempè per vim, rapinam, furtum: ac docet, teneri eum & conveniri posse ex dolo defuncti, si quid ad eum pervenit. Idem ijsdem verbis traditur *in l. quod in herede 9. ff. de tribut. act.* Et antea quoq; Pomponius docuit; Heredem ex dolo ac delicto defuncti, qui litem contestatus non est, non teneri, nisi de eo tantum, quod ad eum pervenit, *c. sicuti pœna 38. sup. eod.* Quod si verò ipse heres dolo fecit, justius erit eum teneri, qui princeps fuerit delicti, & quidem in solidũ *arg. l. in hoc judicium in fin. ff. d. serv. corrupt.* Nam pœna authores suos tenere debet *l. Sancimus C. de pœn.* Et hoc innuit JC. ultimis illis verbis: *Non quoties ex suo.* Ut ita heres, si ex suo delicto conveniatur, non ex delicto alieno, tum in solidum conveniatur. 1.

Sunt autem casus, ubi heres tenetur, etiamsi nihil ad eum pervenit, utputa, si lis fuerit contestata *l. 9. de condict. furt.* Nam ante litis contestationem, condictiones ad heredes non transeunt *l. ult. C. rer. amot.* Et hactenus quidem de dolo defuncti in maleficio commissi, ubi heres tantum tenetur de eo quod ex dolo defuncti ad ipsũ pervenit; quippe quod alieno scelere nemo ditari debeat *l. unic. C. ex delict. defunct.* 2.

At dolus qui defuncto imputari potest ex con-

tractu, obligat heredem in solidum *l. depositi ff. de oblig. & act.* licet nihil ex dolo defuncti ad eum pervenit *l. ad ea 157. §. ult. h. tit.* Ratio differentiæ est; quia hujusmodi dolus ex conjunctione contractus cui adhæret juris conditione tinctus est. Et sic qualis in defuncto erat, transit etiam in heredem *l. hoc jure 152. §. 2. eod. l. & elegant. ff. de dolo.*

AD L. XLV.

Neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emtio, neq; locatio rei suæ consistere potest.

1 ID quod nostrum est, amplius nostrum fieri, & nobis obligari non potest *§. Sic itaq; discretis Instit. de act.* Et ratio est: quod dominium non nisi ex unâ, & singulari causa contingere possit *l. 3. §. ex pluribus ff. de acq. vel amitt. poss.* Hinc est quod *in hac lege* dicitur; *neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emtionem, neq; locationem rei suæ cōsistere posse.* Fieri non rarò solet, ut quis sciens vel ignorans rem suam propriā pignori accipiat, aut ut apud aliquem deponat, vel precariò eam roget, aut emat, aut conducat. Sed quia neq; natura rerum, neq; juris ratio hoc patitur fieri; nihil eorum dicimus consistere, aut effectū habere posse. Nā ergò res mea, quæ propria mea est, non potest mihi oppignorari *l. si rem alienam 29. de pignor. act.* & res mea apud me deponi non potest, ut sc. ego depositi tenear. *l. bona fides 31. § 1. ff. depos.* Sic nec mihi precario res mea perpetuò concedi potest. Hoc enim precarium, qui possessionis est, non proprietatis, non potest verè dici rei suæ preca-

rium

rium esse *l. in rebus 4. § item si rem meam ff. de precar.* Sic nec emtio rei suæ valet *l. 4. & 10. C. de contrah. emt.* ac ob id si dominus ignorans rem suam emit pretio soluto, condictionem habet *l. suæ rei ff. de contrah. emt.* Est & exemplum in eo, qui rem sibi donatam frustra emit, jam dominus per donationem factus *l. cum res sibi donatas 4. C. d. tit.* Et sic res mea mihi locari non potest, sed rei propriæ locatio est inefficax *l. qui rem 20. de locat. conduct.* Idq; ad õnes conventiones pertinet, quibus hoc agitur, ut aliquo modo res mea mihi detur. Neq; hic jura consistunt, sed locationem quoq; rei suæ pro nulla habent, uti modò dictum, tametsi ex locatione jus utendi fruendi saltem ad tempus in conductorem transferatur *d. l. qui rem propriam.* Cujus nulla alia ratio est, quàm quod is cujus est res propria, sibi illam rem animo domini possideat: ac proindè alterius nomine in eadem ista possessione esse nequeat: siquidē nemo sibi causam possessionis mutare potest *l. 3. §. illud ff. de acquir. vel amitt. poss.* Quin & horum omnium 2. hæc ratio est: quod in re propria, nec civilis, nec naturalis obligatio consistat, seu nemo sibiipsi obligetur *l. frater à fratre ff. de condict. indeb.* Et tunc amplius neq; stipulatio *rem suam sibi dari*, aut eam reddi aut restitui, aut tradi valet: quia nemo intelligitur rem suam hoc modo stipulari *l. nemo rē suam 82. de verb. oblig.* Sic nec legari res sua utiliter potest *l. cætera 41. § 1. de legat. 1. §. sed si rem 10. Instit. de legat.* Ex quo intelligitur, hæc omnia

 posse

tractu, obligat heredem in solidum *l. depositi ff. de oblig. & act.* licet nihil ex dolo defuncti ad eum pervenit *l. ad ea 157. §. ult. h. tit.* Ratio differentiæ est; quia hujusmodi dolus ex conjunctione contractus cui adhæret juris conditione tinctus est. Et sic qualis in defuncto erat, transit etiam in heredem *l. hoc jure 152. §. 2. eod. l. & elegant. ff. de dolo.*

AD L. XLV.

Neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emtio, neq; locatio rei suæ consistere potest.

1 ID quod nostrum est, amplius nostrum fieri, & nobis obligari non potest *§. Sic itaq; discretiũ Instit. de act.* Et ratio est: quod dominium non nisi ex unâ, & singulari causa contingere possit *l. 3. §. ex pluribus ff. de acq. vel amitt. poss.* Hinc est quod *in hac lege* dicitur; *neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emtionem, neq; locationem rei suæ cõsistere posse.* Fieri non rarò solet, ut quis sciens vel ignorans rem suam propriã pignori accipiat, aut ut apud aliquem deponat, vel precariò eam roget, aut emat, aut conducat. Sed quia neq; natura rerum, neq; juris ratio hoc patitur fieri; nihil eorum dicimus consistere, aut effectũ habere posse. Nã ergò res mea, quæ propria mea est, non potest mihi oppignorari *l. si rem alienam 29. de pignor. act.* & res mea apud me deponi non potest, ut sc. ego depositi tenear. *l. bona fides 31. § 1. ff. depos.* Sic nec mihi precario res mea perpetuò concedi potest. Hoc enim precarium, qui possessionis est, non proprietatis, non potest verè dici rei suæ precarium

rium esse *l. in rebus 4. § item si rem meam ff. de precar.* Sic nec emtio rei suæ valet *l. 4. & 10. C. de contrah. emt.* ac ob id si dominus ignorans rem suam emit pretio soluto, condictionem habet *l. suæ rei ff. de contrah. emt.* Est & exemplum in eo, qui rem sibi donatam frustra emit, jam dominus per donationem factus *l. cum res sibi donatas 4. C. d. tit.* Et sic res mea mihi locari non potest, sed rei propriæ locatio est inefficax *l. qui rem 20. de locat. conduct.* Idq; ad ōnes conventiones pertinet, quibus hoc agitur, ut aliquo modo res mea mihi detur. Neq; hic jura consistunt, sed locationem quoq; rei suæ pro nulla habent, uti modò dictum, tametsi ex locatione jus utendi fruendi saltem ad tempus in conductorem transferatur *d. l. qui rem propriam.* Cujus nulla alia ratio est, quàm quod is cujus est res propria, sibi illam rem animo domini possideat: ac proindè alterius nomine in eadem ista possessione esse nequeat: siquidē nemo sibi caussam possessionis mutare potest *l. 3. §. illud ff. de acquir. vel amitt. poss.* Quin & horum omnium 2.
hæc ratio est: quod in re propria, nec civilis, nec naturalis obligatio consistat, seu nemo sibiipsi obligetur *l. frater à fratre ff. de condict. indeb.* Et tunc amplius neq; stipulatio *rem suam sibi dari*, aut eam reddi aut restitui, aut tradi valet: quia nemo intelligitur rem suam hoc modo stipulari *l. nemo rē suam 82. de verb. oblig.* Sic nec legari res sua utiliter potest *l. cætera 41. § 1. de legat. 1. §. sed si rem 10. Instit. de legat.* Ex quo intelligitur, hæc omnia

tractu, obligat heredem in solidum *l. depositi ff. de oblig. & act.* licet nihil ex dolo defuncti ad eum pervenit *l. ad ea 157. §. ult. h. tit.* Ratio differentiæ est; quia hujusmodi dolus ex conjunctione contractus cui adhæret juris conditione tinctus est. Et sic qualis in defuncto erat, transit etiam in heredem *l. hoc jure 152. §. 2. eod. l. & elegant. ff. de dolo.*

AD L. XLV.

Neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emtio, neq; locatio rei suæ consistere potest.

1 ID quod nostrum est, amplius nostrum fieri, & nobis obligari non potest *§. Sic itaq; discretis Instit. de act.* Et ratio est: quod dominium non nisi ex unâ, & singulari causa contingere possit *l. 3. §. ex pluribus ff. de acq. vel amitt. poss.* Hinc est quod *in hac lege* dicitur; *neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emtionem, neq; locationem rei suæ cōsistere posse.* Fieri non rarò solet, ut quis sciens vel ignorans rem suam propriā pignori accipiat, aut ut apud aliquem deponat, vel precariò eam roget, aut emat, aut conducat. Sed quia neq; natura rerum, neq; juris ratio hoc patitur fieri; nihil eorum dicimus consistere, aut effectū habere posse. Nā ergò res mea, quæ propria mea est, non potest mihi oppignorari *l. si rem alienam 29. de pignor. act.* & res mea apud me deponi non potest, ut sc. ego depositi tenear. *l. bona fides 31. § 1. ff. depos.* Sic nec mihi precario res mea perpetuò concedi potest. Hoc enim precarium, qui possessionis est, non proprietatis, non potest verè dici rei suæ preca-

rium

tium esse *l. in rebus 4. § item si rem meam ff. de precar.* Sic nec emtio rei suæ valet *l. 4. & 10. C. de contrah. emt.* ac ob id si dominus ignorans rem suam emit pretio soluto, condictionem habet *l. suæ rei ff. de contrah. emt.* Est & exemplum in eo, qui rem sibi donatam frustra emit, jam dominus per donationem factus *l. cum res sibi donatas 4. C. d. tit.* Et sic res mea mihi locari non potest, sed rei propriæ locatio est inefficax *l. qui rem 20. de locat. conduct.* Idq; ad õnes conventiones pertinet, quibus hoc agitur, ut aliquo modo res mea mihi detur. Neq; hic jura consistunt, sed locationem quoq; rei suæ pro nulla habent, uti modò dictum, tametsi ex locatione jus utendi fruendi saltem ad tempus in conductorem transferatur *d. l. qui rem propriam.* Cujus nulla alia ratio est, quàm quod is cujus est res propria, sibi illam rem animo domini possideat: ac proindè alterius nomine in eadem ista possessione esse nequeat: siquidẽ nemo sibi causam possessionis mutare potest *l. 3. §. illud ff. de acquir. vel amitt. poss.* Quin & horum omnium 2.
hæc ratio est: quod in re propria, nec civilis, nec naturalis obligatio consistat, seu nemo sibiipsi obligetur *l. frater à fratre ff. de condict. indeb.* Et tunc amplius neq; stipulatio *rem suam sibi dari*, aut eam reddi aut restitui, aut tradi valet: quia nemo intelligitur rem suam hoc modo stipulari *l. nemo rẽ suam 82. de verb. oblig.* Sic nec legari res sua utiliter potest *l. cætera 41. § 1. de legat. 1. §. sed si rem 10. Instit. de legat.* Ex quo intelligitur, hæc omnia

 posse

tractu, obligat heredem in solidum *l. depositi ff. de oblig. & act.* licet nihil ex dolo defuncti ad eum pervenit *l. ad ea 157. §. ult. h. tit.* Ratio differentiæ est; quia hujusmodi dolus ex conjunctione contractus cui adhæret juris conditione tinctus est. Et sic qualis in defuncto erat, transit etiam in heredem *l. hoc jure 152. §. 2. eod. l. & elegant. ff. de dolo.*

AD L. XLV.

Neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emtio, neq; locatio rei suæ consistere potest.

1 ID quod nostrum est, amplius nostrum fieri, & nobis obligari non potest *§. Sic itaq; discretis Instit. de act.* Et ratio est: quod dominium non nisi ex unâ, & singulari causa contingere possit *l. 3. §. ex pluribus ff. de acq. vel amitt. poss.* Hinc est quod *in hac lege* dicitur; *neq; pignus, neq; depositum, neq; precarium, neq; emtionem, neq; locationem rei suæ cõsistere posse.* Fieri non rarò solet, ut quis sciens vel ignorans rem suam propriã pignori accipiat, aut ut apud aliquem deponat, vel precariò eam roget, aut emat, aut conducat. Sed quia neq; natura rerum, neq; juris ratio hoc patitur fieri; nihil eorum dicimus consistere, aut effectũ habere posse. Nã ergò res mea, quæ propria mea est, non potest mihi oppignorari *l. si rem alienam 29. de pignor. act.* & res mea apud me deponi non potest, ut sc. ego depositi tenear. *l. bona fides 31. § 1. ff. depos.* Sic nec mihi precario res mea perpetuò concedi potest. Hoc enim precarium, qui possessionis est, non proprietatis, non potest verè dici rei suæ precarium

rium esse *l. in rebus 4. § item si rem meam ff. de precar.* Sic nec emtio rei suæ valet *l. 4. & 10. C. de contrah. emt.* ac ob id si dominus ignorans rem suam emit pretio soluto, condictionem habet *l. suæ rei ff. de contrah. emt.* Est & exemplum in eo, qui rem sibi donatam frustra emit, jam dominus per donationem factus *l. cum res sibi donatas 4. C. d. tit.* Et sic res mea mihi locari non potest, sed rei propriæ locatio est inefficax *l. qui rem 20. de locat. conduct.* Idq; ad ōnes conventiones pertinet, quibus hoc agitur, ut aliquo modo res mea mihi detur. Neq; hic jura consistunt, sed locationem quoq; rei suæ pro nulla habent, uti modò dictum, tametsi ex locatione jus utendi fruendi saltem ad tempus in conductorem transferatur *d. l. qui rem propriam.* Cujus nulla alia ratio est, quàm quod is cujus est res propria, sibi illam rem animo domini possideat: ac proindè alterius nomine in eadem ista possessione esse nequeat: siquidē nemo sibi caussam possessionis mutare potest *l. 3. §. illud ff. de acquir. vel amitt. poss.* Quin & horum omnium 2. hæc ratio est: quod in re propria, nec civilis, nec naturalis obligatio consistat, seu nemo sibiipsi obligetur *l. frater à fratre ff. de condict. indeb.* Et tunc amplius neq; stipulatio *rem suam sibi dari*, aut eam reddi aut restitui, aut tradi valet: quia nemo intelligitur rem suam hoc modo stipulari *l. nemo rē suam 82. de verb. oblig.* Sic nec legari res sua utiliter potest *l. cætera 41. § 1. de legat. 1. §. sed si rem 10. Instit. de legat.* Ex quo intelligitur, hæc omnia

 posse

& act. Actionum itaq; non est ea cumulandi ratio, quæ est exceptionum. Sed qui ejusdem rei nomine in unam & eandem personam plures habet actiones, nō potest omnibus experiri, sed necesse est, ut ex omnibus unam eligat, quâ experiatur, sive judicium contestetur, adeò ut unâ electâ, ad alias ipsi via sit præclusa. Unde Ulpianus *hoc loco* dicit, *Quotiens concurrūt plures actiones ejusdem rei nomine, una tantum quis experiri debet.* Rectè autem Ulpianus dicit: *Actorem ejusdem rei nomine pluribus actionibus non posse experiri.* Quia diversarum rerum nomine plures actiones competere possunt, nec altera alteram consumit. Et si actum sit communi dividundo, non tollitur actio pro socio *l. si actum sit 43. ff. pro socio.* ubi additur ratio. Sic rei communis nomine cum socio furti agi potest, si per fallaciam dolove malo amovit, vel rem communem celandi causa contrectat; sed etiam pro socio actione tenetur; nec altera actio, alteram tollet. Idemq; in omnibus bonæ fidei judicijs dicendum est. *l. rei communis 45. ff. pro socio.* Nam actio bonæ fidei ad rei restitutionem respicit; furti autem judicium ad pœnam *l. sed actione 50. ff. pro socio.* sic & plurium delictorum in diversis rebus admissorū, plures actiones simul movere possumus *l. 2. de privat. delict.* At si unius rei plures actiones & ex una obligatione concurrant, una tantûm experiri licet, *de qua l. nunquam 172. h. tit. & ibi interpp.*

AD L. XLIV.

Toties

Toties in heredem damus actionem, de eo quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur; non quoties ex suo.

IN hac regula Ulpianus agit, quid juris sit, si ipse heres deliquit, aut dolum commisit, nempè per vim, rapinam, furtum: ac docet, teneri eum & conveniri posse ex dolo defuncti, si quid ad eum pervenit. Idem ijsdem verbis traditur *in l. quod in herede 9. ff. de tribut. act.* Et antea quoq; Pomponius docuit; Heredem ex dolo ac delicto defuncti, qui litem contestatus non est, non teneri, nisi de eo tantum, quod ad eum pervenit, *c. sicuti pœna 38. sup. eod.* Quod si verò ipse heres dolo fecit, justius erit eum teneri, qui princeps fuerit delicti, & quidem in solidũ *arg. l. in hoc judicium in fin. ff. d serv corrupt.* Nam pœna authores suos tenere debet *l. Sancimus C. de pœn.* Et hoc innuit JC. ultimis illis verbis: *Non quoties ex suo.* Ut ita heres, si ex suo delicto conveniatur, non ex delicto alieno, tum in solidum conveniatur. 1

Sunt autem casus, ubi heres tenetur, etiamsi nihil ad eum pervenit, utputa, si lis fuerit contestata *l. 9. de condict. furt.* Nam ante litis contestationem, condictiones ad heredes non transeunt *l. ult. C. rer. amot.* Et hactenus quidem de dolo defuncti in maleficio commissi, ubi heres tantum tenetur de eo quod ex dolo defuncti ad ipsũ pervenit; quippe quod alieno scelere nemo ditari debeat *l. unic. C. ex delict. defunct.* 2

At dolus qui defuncto imputari potest ex contractu,

tium esse *l. in rebus 4. § item si rem meam. ff. de precar.* Sic nec emtio rei suæ valet *l. 4. & 10. C. de contrah. emt.* ac ob id si dominus ignorans rem suam emit pretio soluto, condictionem habet *l. suæ rei ff. de contrah. emt.* Est & exemplum in eo, qui rem sibi donatam frustra emit, jam dominus per donationem factus *l. cum res sibi donatas 4. C. d. tit.* Et sic res mea mihi locari non potest, sed rei propriæ locatio est inefficax *l. qui rem 20. de locat. conduct.* Idq; ad ōnes conventiones pertinet, quibus hoc agitur, ut aliquo modo res mea mihi detur. Neq; hic jura consistunt, sed locationem quoq; rei suæ pro nulla habent, uti modò dictum, tametsi ex locatione jus utendi fruendi saltem ad tempus in conductorem transferatur *d. l. qui rem propriam.* Cujus nulla alia ratio est, quàm quod is cujus est res propria, sibi illam rem animo domini possideat: ac proindè alterius nomine in eadem ista possessione esse nequeat: siquidē nemo sibi caussam possessionis mutare potest *l. 3. §. illud ff. de acquir. vel amitt. poss.* Quin & horum omnium 2.
hæc ratio est: quod in re propria, nec civilis, nec naturalis obligatio consistat, seu nemo sibiipsi obligetur *l. frater à fratre ff. de condict. indeb.* Et tunc amplius neq; stipulatio *rem suam sibi dari*, aut eam reddi aut restitui, aut tradi valet: quia nemo intelligitur rem suam hoc modo stipulari *l. nemo rē suam 82. de verb. oblig.* Sic nec legari res sua utiliter potest *l. cætera 41. § 1. de legat. 1. §. sed si rem 10. Instit. de legat.* Ex quo intelligitur, hæc omnia

posse consistere & utiliter fieri, si in tempus, quo res sua non erit, conferantur *l. existimo 61. ff. de contrah. emt.*

AD §. I.

Privatorum conventio juri publico non derogat.

3. JUs publicum hic accipiendū est, non utiq; quod ad statum rei Romanæ pertinet, sed quodcunq; est de re publica sive populi *arg. l. jurigentium 7. § si paciscar 14. ff. de pact.* Jus itaq; publicum, sive publicæ utilitatis causa introductum, non potest privatorum conventionibus tolli aut mutari, *de qua re dictum ad l. nec ex prætorio, sup. h. tit.* Quod si utilitatem aliquam privatam respiciat pactum, quatenus privatos contingit, paciscentibus nocebit *Accurs. ad h. l.*

AD L. XLVI.

Quod à quoquo pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.

HAc regulâ docetur: Neminem ad restitutionem illius, quod delicti commissi nomine ab altero exactum, vel ipse magistratus consecutus est, compelli posse: Ne delicta maneant impunita *l. ita vulneratus 51. ff. ad L. Aquil.* Hinc si debitor pignus surripuit, tum id quod actione furti sive pignoris surrepti nomine solvit, nullo modo à creditore repetere potest *l. si pignore 22. in pr. ff. de procurat. l. si debitor 81. ff. de furt.* Sic procurator pœnam, quam ipse contumaciæ suæ nomine judici solvit, recuperare à domino non potest

potest *l. qui proprio 46. §. item contra ff. de procurat.* Ratio cur id quod pœnæ nomine solutum est, repeti non potest, hæc est: Ne si id quod pro delicto pœnæ nomine dependitur, ei, à quo exactum est, restituatur, pœnæ reddantur elusoriæ: quod certè ut publicæ utilitati contrarium admitti non debet. Est enim publicè utile, ne delicta maneant impunita, quod autem fieret, si pœnæ exactæ ei qui eas proprij delicti nomine dependit, quoquo modo restitui deberent, aut in solutum ei cederēt, quovis modo eas recuperare posset.

AD L. XLVII.

Consilij non fraudulenti nulla obligatio est. Cæterùm si dolus & calliditas intercessit, de dolo actio competit.

HAc regula JC. docet; neminem teneri consilio quod alteri dedit, dummodò id bona fide dederit, & fraus abfuerit. Idem dicit Pontifex *in c. nullus ex consilio. de reg. jur. in 6.* Nullus ex consilio dummodò fraudulentū non fuerit, obligatur. Ac hoc in tantum procedit, etiamsi consilium non expediat ei, cui datum est, sed maximè obsit. Ita enim Justinianus ait: Nemo ex cōsilio mandati obligatur, etiamsi non expediat ei cui mandabatur: tua namq; tantum gratia mandatum hoc intercessit, & tua tantum gratia mandatum non contrahitur, sed solum consilium est § *tua tantum Instit. de mandato.* Huic rationi & alia adhuc ratio dari potest ex natura correlativorū desumta: Quod cum is cui consilium datur, non 1.

tenea-

teneatur ei qui dedit; absurdum esset, ut is qui dedit teneatur: si neq; ex diverso consultus obligatus esse debeat ei qui fuit secutus consilium; alioquin claudicabit *contra l. Julianus 13. §. si quis à pupillo ff. de act. emt.* Itaq; ex consilio nemo obligatur: aliud est mandatum, aliud consilium. Ut si ego mandem tibi, ut pecunia tua fundum potius emas, quàm fœnus contrahas, hoc non est mandatum, sed consilium; quod nempè svadet, ut potius in eam rem convertas pecuniam, quàm in aliam: tu debes explorare, an consilium tibi expediat. Ex mandato est obligatio: Ex consilio bona fide dato non item.

2. Sanè si fraus, malitia vel dolus intervenerit, tunc ex consilio fide mala dato, actio de dolo competit *b. l. nost. in fin. l. idemq; 10. § si quis ff mandati l. quod si cum scires & l. servus tuus 20. ff. de dolo malo.* V. G. Mandavi procuratori meo, ut uteretur consilio Sempronij, qui adhibitus suasit, ut pecuniam meam fœnori collocaret: quo cõsilio usus est procurator, & res malè cecidit: nam eã malè collocavit: Sempronius tamen non tenebitur, nisi dolo svasit: tunc enim tenebitur de dolo malo, non de mandato *d. l. idemq; 10.* Itaq; si JC. clienti suo svaserit dolo malo, tenetur de dolo *Cujat. ad hanc leg. nost.*

AD § I.

Socius mei socij, meus socius non est.

3. SI itaq; socius meus alium in societatem adscîscit, is qui adsciscitur, illi soli socius est, at meus

socius

socius propterea non est: quia ego cum illo non contraxi, nec consensi: societas autem mutuo consensu contrahitur *l. ille qui admittitur 19. ff. pro socio.* Ubi nec Vasallus mei vasalli, meus vasallus dicitur: ac idcircò ad servitia mihi præstanda cōpelli non potest *arg. l. Modestinus 105. de verb. sign. Decius h. n. 1.* sed cum fidejussor pro cautione & certitudine nostræ fidei intervenire soleat, fit, ut fidejussor fidejussoris mei, sit meus fidejussor *l. si plures 27. §. 2. & 3. ff. de fidejuss.*

AD L. XLVIII.

Quicquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quàm si perseverantia apparuit, judicium animi fuisse: ideoq́ brevi reversa uxor nec divertisse videtur.

HÆc regula descripta est *ex l. Divortij 3. ff. de divort. & repud.* Ac docet, ea quæ iracundia aut subita aliqua perturbatione animi fiunt & dicuntur, non ante rata & firma haberi, quàm appareat sive constet, ex perseverantia, ubi sc. quis in eo dicto vel facto perseverat, judicium animi fuisse, h. e. quod dixit vel fecit, ex animo deliberato processisse. Ratio regulæ est, quod is quem iracundia vel ira occupat, veluti extra se ac mentis non compos, sed propè furiosus sit, atq; ita affectione destituatur: sed in omnibus dictis & factis imprimis qua mente, qua affectione, & quo animo quid dicatur, aut fiat, perpendi oportet. At ex perseverantia apparet, quod deliberatò sit dictum vel factum, *l. si adulterium 38. §. ijdem ff. ad* 1.

L. Jul.

L. Jul. de adult. Hanc regulam JCtus hic explicat exẽplo ſumto â muliere divertente â marito, & brevi reverſa. Ait enim, ideoq; brevi reverſa uxor nec divertiſſe videtur. Idem exemplum recitat *in d. l. divortium 3. de divort.* Ac divortium non creditur ratum, niſi mulier ita divertat à marito, ut nunquam velit ad illum reverti *l. locatio 9. in pr. ff. de publicanis.* Et ſic quoq; qui convicium aut crimen alicui temerè objecit calore iracundiæ, vel irâ occupatus, non punitur, niſi id vel iteret, vel aſtruere conetur *c. ſi quis iratus 2. quæſt. 3.*

2. Cæterum regulæ huic locus non eſt in delictis atrocioribus, puta, homicidio & ſimilibus. Ubi tamen diſtinguendum eſt; an iracundia ſive ira ex juſta cauſa pervenerit, an verò ex non juſta cauſa. Si provenit ex juſta cauſa, delinquens ob id non excuſabitur in totum, ſed tamen iracundia illa & ira facit, ut pœna ordinaria non habeat locum, ſed ea in arbitrariã mutetur, ac ita delinquẽs mitius puniatur: difficilimum enim eſt juſtum temperare dolorem *l. ſi adulterium 38. § Imperator 8. ff. ad L. Jul. de adult.* Quod ſi iracundia vel ira provenit ex non juſta cauſa, tum neutiquam excuſatur, ſed pœnæ ordinariæ locus relinquitur: Omnia enim ad dolum & vindictum ſpectant *Clar. § fin. quæſt. 60. n. 9. Tiraq. de pœnis cap. 1. Conſtit. Crimin. Carol. 37. ibi,* der einen Todtſchlag auß Gachheit vnd Zorn gethon *Gail. 2. obſ. 110. n. 35. & ſeqq. Teſſant. Deciſ. 178. Menoch. de arb. jud. quæſt. caſu 319. n. 33. & 35. & caſu 361. n. 8.*

AD L. XLIX.

Alterius circumventio alij non præbet actionem.

CIrcumventio hæc loco accipitur & intelligitur pro dolo malo, qui significat omnem calliditatem, machinationem, fallaciam ad circumveniendum, fallendum decipiendumve alterum adhibitum *l.1.§.2.de dolo malo.* Ait Ulpianus: Alterius circumventio alij non præbet actionem, hoc est, Nemini ex dolo alterius actio quædam concedenda est. Alterins ergò circumscriptio accipienda est de ea, qua aliquis ab aliquo circumscriptus est. Nam alius qui circumscriptus non est, ob eam rem contra circumscribentem non habebit actionem, sed is solus, qui ea circumscriptione læsus est, V.G. Tutor circumvenit eum cum quo cōtrahit nomine pupilli, hæc tutoris circumventio non efficit, ut pupillus habeat actionem *l.4.§ illa etiam quæstio ff.de doli except.l.sed & si ff.de dolo malo.* Ratio est, Quia ut nemini dolus suus prodesse dicitur, sed eidem nocet *l. 1.§. 1. de doli & met.except.* ac nemo ex dolo suo actionem habet *l. & eleganter 7. de dolo.* Ita & dolus unius alteri nō prodest, nec ei actionem parit. Quicquid enim suo nomine alicui non licet, nec alieno nomine licebit *c.quod alicui 67 de reg.jur.in 6.* Et res inter alios acta, alteri prodesse vel nocere non potest *tot.tit. C. Res inter alios acta.* Sic socius experiri non potest de eo, quod ex furto vel alio maleficio socius quæsivit *l.quod autem 53.ff.pro socio.* Eandemq; ob-

causam

causam pupillus doli mali exceptione submovetur, si agere velit ex contractu, quem tutor in rem ipsius dolosè inijt *l. 4. § illa etiam quæstio ff. de doli mali & met. except.*

Ad L. L.

Culpa caret qui scit, sed prohibere non potest.

1. Culpâ caret *h. e. extra noxiam & peccatum est, seu excusationem delicti meretur,* qui scit, *h. e. qui patitur,* ut idem JC. Paulus tradit *in l. 109 inf. eod.* Nullum crimen patitur, qui non prohibet, cum prohibere non possit. Quis enim culpæ h. e. negligentiæ eum coarguat, qui ut maximè velit prohibere rem non potest: Aliud observatur in casu ex sensu *hujus legis* contrario, in eo sc. qui cum deberet & posset prohibere, non prohibuit. Hic enim culpa non caret, & ipse propomodum fecisse videtur, qui alium quem prohibere debuit ac potuit quid facere, non prohibuit, sed facere passus est. Exemplum est *in l. 2. in pr. de noxal. act.* ubi dominus, quo sciente, nec prohibente servus cædem fecit, in solidum tenetur, nec potestatem noxæ dedendi servum habet: quod hoc casu dominus ipse cædem fecisse videatur.

2. In quæstione itaq;, quando quæritur, *Utrum sciens delictum perpetrari, & non prohibuit, puniatur?* distinguendum est: Aut is qui scit delictum committi, & prohibere cupit, sed non potest: Aut is qui scit delictū committi & prohibere potest, sed non prohibet. De priori casu accipienda est *hæc lex nostra*: De posteriori casu, respondendum est à con-

à contrario ſenſu ſumto argumento; quod is culpæ reus ſit, & pari cauſa cum faciente habendus: & de eo caſus eſt *in l. ſi communis 9. ff. de nox. & act. & in l. in lege 44. ff. ad L. Aquil.* Et ſic communitas ſive univerſitas tenetur ex delicto civium, ſi ſcivit illud committi, ac prohibere potuit, ſed nō prohibuit. Eo enim caſu univerſitas delictum ratificaſſe cenſetur, & delicti particeps redditu- *Mynſ. 4. obſ. 29.* Ad eundem modum ſi famuli domino ſciente & non prohibente delinquunt, ipſe dominus tenetur *Bart. in l. de pupillo §. ſi quis ff. de novi oper. nunciat.* Nam ille qui non impedit maleficium, quando ad eum ſpectat probibere, videtur ipſum perpetrare: ſecus eſt, ſi ad eum non ſpectat *Bald. in l. 2. ff. de noxalib. act.*

Singulare eſt in crimine læſæ majeſtatis ſummo, in quo qui tantum ſcivit, & non revelavit, punitur *l. quisquis 5. §. id quod C. ad L. Jul. majeſt. Clar. §. fin. quæſt. 87. n. 1. & 2.*

AD L. LI.

Non videtur quisquam capere, quod ei neceſſe eſt alij reſtituere.

HÆc lex convenit cum *l. non videtur 13. ſup. eod.* Idem docet Ulpianus his verbis: Non videtur quis capere, quod erit reſtiturus *l. aliud eſt capere 71. de verb. ſign.* Dicit JCtus, *h. l.* Non videtur quisquam id capere *h. e. revera non capit*, quod ei eſt neceſſe reſtituere h. e. qui rem quidem apud ſe habet, ſed eam alij cogitur reſtituere, h. e. non capit rem eam in dominium ſuum, ſeu domi-

miniū ejus rei non cōsequitur, seu nō fit dominus illius rei. Capere n. in libris nostris est dominium suum capere *d.l.aliud 71.d.l.nō videbitur*, ubi vide.

AD L. LII.

Non defendere videtur, non tantùm qui latitat, sed & is qui præsens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem.

1. VErbum *defendere* generaliter hoc loco accipi potest tàm de Reo quàm Actore, qui sc. secum agendi potestatem facit, & judicium vel per se, vel per alium idoneum, qui judicatum solvi satisdat, suscipit *l. rectè defendi 63. de judic. l. hæc autē 5. § rectè ff. Ex quib. caus. in poss. eat*, Ait Ulpianus, *non videtur defendere*, h. e. non defendit. Verbum enim *videtur*, uti in *lege præcedenti*, ita etiam hìc accipitur secundum veritatem. In sequentibus verbis JC. Ulpianus tres modos recitat, quibus quis se non defendere videtur I. Qui latitat, h. e. qui se fraudationis causa occultat, seu fugit, ne secum aliquid moveatur *l. Fulcinius 7. § quid sit autem latitare ff. Ex quib. caus.* II. Qui præsens negat se defendere, h.e. qui præsens in propria contumax. Nam qui præsens est, & non respondet, dicitur prætorem contemnere *l. de ætate 11. § qui tacuit 4. de interrogat.* vel etiam qui in aliena causa apertè indicat, se defensionem non esse suscepturum, vel etiam tacet *d. l. hæc autem §.1.* III. Nō defendit, qui non vult suscipere actionem, h. e. non vult litem contestari, litem accipere, judiciū accipere, sed judicium recusat ac detrectat. Ut n.

Prætor

prætor dat judicium, ita litigatum accipiunt & suscipiunt *l. 9. § labeo ff. de dolo.* Et accipitur judicium litis contestatione. Lis enim dicitur, ubi contestatio facta est. Ante contestationem non est lis, sed controversia *l. sed etsi 25. §. si ante ff. de petit. hered.*

Usus *hujus legis*, ut sciamus, utrum quis defendatur, an non, judicatur in *l. nemo dubitat 95. ff. Ex quib. caus. in poss. eat.* Ut sc. quamdiu quis defenditur, videatur solvendo esse, & præcipuè si defendatur ab extraneo, qui satisdare cogitur *l. in eo 111. §. nemo, inf. eod.* Siquidem ex hujusmodi satisdatione, quæ fit datis fidejussoribus vel pignoribus, poterit actor quod petit consequi *l. tum videtur 53. ff. de procurat.* Quod si non defendatur, tum mittitur actor in possessionem bonorum Rei conventi, ut ea pignoris jure teneat, donec Reus tædio affectus veniat ad respondendum *l. 15. tui §. ff. ut in possess. legat.* Quod si porrò cesset, & se non defendat, tum etiam possessio actori tribuitur *l. Prætor 7 ff. de damn. infect.* Hæc itaq; est pœna, qua contumaces plectuntur, ut in eos non secus ac si præsentes essent, sententia feratur, ut in expensas omnes in lite factas condemnentur, adeoq; bona ipsorum à creditoribus distrahantur *l. consentaneum 8. junct. Auth. Qui semel C. Quomodo & quando judex sent. profer.* 2.

AD L. LIII.

Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est.

HÆc sententia est *hujus legis*: Si quis per errorem aliquid dedit vel solvit, illud condictione indebiti repetere potest. Si non per errorem, sed cum sciret indebitum esse, nihilominus sciens quid solvat, id non potest repetere; vel cessat ex causa indebiti petitio; quia donasse intelligitur *h. l. nost. & l. 1. ff. de condict. indeb.* præsettim si nulla conjectura extet, ex qua alius, quàm donandi animus colligi possit: cum in dubio donare suumq; jactare nemo præsumatur *l. cum de indebito 25. in pr. de probat. Koppen. decis. 14. n. 1. & 2. Modest. Pist. illust. quæst. 38. n. 39. & seq. p. 3.* Hinc est, quod debitor qui sciens usuras indebitas solvit, sorte soluta repetere illas possit: cum in hunc finẽ illas solvisse præsumatur, ne importunus creditor solutionẽ urgeret *l. si non sortem 26. ff. de condict. indeb.*

AD L. LIV.

Nemo plus juris ad alium transferre potest, quàm ipse haberet.

1. HÆc regula locum habet, tùm in actibus inter vivos, sive in contractibus, & alienationibus, tum etiam in ultimis voluntatibus & successionibus. In contractibus namq; non debeo melioris esse conditionis quàm autor meus, à quo jus in me transijt *l. in his 135. §. 1. h. tit.* Et sic si quis dominium in fundo habuit, in tradendo illud transfert; si non habuit, nihil transfert ad eum qui accepit. Nam traditio nihil amplius transferre potest vel debet, ad eum qui accipit, quàm est apud eum qui tradit *l. traditio 20. ff. de acq. rer. dom.*

Eodem

Eodem modo in successionibus nemo plus 2.
juris ad alium transferre potest, quàm ipse habet, h.e. Nemo plus commodi relinquit heredi, quàm ipse habuit *l. nemo plus commodi 120. h. tit.* Quemadmodum & de legato respondit Ulpianus in *l. 121. §. fin. eod.* Absurdum est, plus juris habere eum, cui legatus est fundus, quàm heredem aut ipsum testatorem si viveret. Qui itaq; in jus dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet *l. qui in jus 177. eod.* Ergo quivis successor, sive singularis sit, sive universalis, in re quam accipit, aliud jus non consequitur, quàm author ipsius habuit *d. l. traditio*

AD L. LV.

Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.

CUjatius *ad h. legem* tale exemplum refert. Is 1.
qui prætermisit causam testamenti, vel aditionem hereditatis, qua in re fraudantur legatarij, adit hereditatem ab intestato: quia erat proximus heres; & hoc erat in ejus potestate. Hic incidit in edictum: *Si quis omissa causa testamenti &c.* Proinde tenetur legatarijs, æquè ac si adijsset ex testamento, quia dolo id facit. Sed contra non videtur dolo facere id, & ideo non incidit in edictum illud, si suo jure utatur; utputa, si institutus est hæres in testamento, & simul ei à testatore facultas data est, ut si hæres esse nolit ex testamento, veniat ab intestato: Ille si omissa causa testamenti hereditatem ab intestato apprehendit, non facit hoc dolo, neq; incidit in edictum, *Si quis*

omissa causa testamenti: quia testator ei permisit electionem, atq; ita jure suo utitur. *l. 1. §. si proponatur 5. l. quia 6. §. plane ff. si quis omiss. causa test.* Et qui jure suo utitur, non videtur dolo facere *h. l.* neq; vim facere *l. factum 155. §. 1. h.* neq; fraudem *l. illud constat 13. ff. Quæ in fraud.* neq; damnum *l. fluminum 24. §. ult. proculus 26. ff. de damno infecto.* Sæpè enim quod sui juris tuendi gratiâ quisque facit, id alteri nocet *l. si finita § notandum ff. d. tit.* Similiter si domus non sit servitute onerata, potest neq; ad cœlum tolli, etiamsi luminibus vicini officiat *l. altius 8. l. si in ædibus C. de serv. & aq.* Ita potest quis aquam è suo fundo, ne ad eum perveniat, avertere, etiamsi vicini fundo noceat; nisi aquam illam jure servitutis recipere teneatur *l. 2. § idem Labeo 9. de aq. pluv. arc.* Ad eundem modum, cum eo qui in suo fodiens vicini fontem avertit, agi non potest *l. 1. § denus 12. de aq. & aqua pl.* Sic creditor qui sibi vigilavit, antequam bona ex edicto possideantur, & occupavit suum petere, non videtur fraudare cæteros: nec fraudat qui suum colligit h. e. repetit, exigit, quamvis sciverit debitorem solvendo non esse *l. 6. §. apud ff. Quæ in fraud. credit.* Quia jura vigilantibus, non dormientibus succurrunt *d. l. 6. & pen.*

2. Sanè si quis animo nocendi, & non utilitatis vel necessitatis causâ aliquid facit vel ædificat, quod non prosit ædificanti; sed alteri nocet, is est in dolo, & damnum ac injuriam alteri inferre dicitur, cui propterea prohiberi potest, ne faciat

vel

vel ædificet. Fit enim illud ad æmulationem & injuriam alterius, quod facere non licet *l. 1. §. deniq; & d. l. 2. §. idem Labeo 9. & l. opus novum 3. in pr. de operib. publ. Anth. Gail. 2. Obs. 69.*

AD L. LI.

Semper in dubijs benigniora præferenda sunt.

BEnigniora sunt, quæ æquitati naturali propria sunt. Æquitas enim omnis juris sit norma atq; regula: à quâ qui recedit, à jure ipso recedit. Benigniora itaq; vocantur in contractibus, quæ debitori *l. veteribus ff. de pact.* in ultimis voluntatibus, quæ heredi *l. cum tempus 17. eod.* in judicijs, pœnis & delictis, quæ reo *l. favorabiliores 168. eod.* patrocinantur, ut quam minimum onerentur. Inprimis verò hujus benignitatis usus maximus est in pœnis, docente Paulo in *l. factum 155. § ult. eod.* In dubijs enim melius est de misericordia reprehendi, quàm de severitate *c. colligant 26. q. c. 7.* Quamobrem si lex vel statutum imponit pœnam capitalem, semper intelligitur de mitiori, utputa, de exilio, sive de deportatione *gl. in l. 1. C. Ne Christ. mancip. Myns. 2. Obs. 46. arg. l. licet corporalis. de verb. sign.* Atq; ita etiam verba illa, ulcisci, vindicare in den Whrpfriden/quæ ambigua & dubia sunt, intelligi debent, de vindicta quæ fit de facto & propria authoritate, non autem de vindicta licita & jure permissa, sc. actionem aut accusationem instituendo *Schurf. consil. 87. n. 8. & seqq. Cent. 3.*

AD L. LVII.

omissa causa testamenti: quia testator ei permisit electionem, atq; ita jure suo utitur. *l. 1. §. si proponatur 5. l. quia 6. §. planè ff. si quis omiss. causa test.* Et qui jure suo utitur, non videtur dolo facere *h. l.* neq; vim facere *l. factum 155. §. 1. h.* neq; fraudem *l. illud constat 13. ff. Quæ in fraud.* neq; damnum *l. fluminum 24. §. ult. proculus 26. ff. de damno infecto.* Sæpè enim quod sui juris tuendi gratiâ quisque facit, id alteri nocet *l. si finita § notandum ff. d. tit.* Similiter si domus non sit servitute onerata, potest neq; ad cœlum tolli, etiamsi luminibus vicini officiat *l. altius 8. l. si in ædibus C. de serv. & aq.* Ita potest quis aquam è suo fundo, ne ad eum perveniat, avertere, etiamsi vicini fundo noceat; nisi aquam illam jure servitutis recipere teneatur *l. 2. § idem Labeo 9. de aq. pluv. arc.* Ad eundem modum, cum eo qui in suo fodiens vicini fontem avertit, agi non potest *l. 1. § denus 12. de aq. & aqua pl.* Sic creditor qui sibi vigilavit, antequam bona ex edicto possideantur, & occupavit suum petere, non videtur fraudare cæteros: nec fraudat qui suum colligit h. e. repetit, exigit, quamvis sciverit debitorem solvendo non esse *l. 6. §. apud ff. Quæ in fraud. credit.* Quia jura vigilantibus, non dormientibus succurrunt *d. l. 6. & pen.*

2. Sanè si quis animo nocendi, & non utilitatis vel necessitatis causâ aliquid facit vel ædificat, quod non prosit ædificanti; sed alteri nocet, is est in dolo, & damnum ac injuriam alteri inferre dicitur, cui propterea prohiberi potest, ne faciat vel

vel ædificet. Fit enim illud ad æmulationem & injuriam alterius, quod facere non licet *l. 1. §. deniq; & d. l. 2. §. idem Labeo 9. & l. opus novum 3. in pr. de operib. publ. Andr. Gail. 2. Obs. 69.*

AD L. LI.

Semper in dubijs benigniora præferenda sunt.

BEnigniora sunt, quæ æquitati naturali propria sunt. Æquitas enim omnis juris sit norma atq; regula: à quâ qui recedit, à jure ipso recedit. Benigniora itaq; vocantur in contractibus, quæ debitori *l. veteribus ff. de pact.* in ultimis voluntatibus, quæ heredi *l. cum tempus 17. eod.* in judicijs, pœnis & delictis, quæ reo *l. favorabiliores 168. eod.* patrocinantur, ut quam minimum onerentur. Inprimis verò hujus benignitatis usus maximus est in pœnis, docente Paulo in *l. factum 155. §. ult. eod.* In dubijs enim melius est de misericordia reprehendi, quàm de severitate *c. colligant 26. q. c. 7.* Quamobrem si lex vel statutum imponit pœnam capitalem, semper intelligitur de mitiori, utputa, de exilio, sive de deportatione *gl. in l. 1. C. Ne Christ. mancip. Myns. 2. Obs. 46. arg. l. licet corporalis. de verb. sign.* Atq; ita etiam verba illa, ulcisci, vindicare in den Uhrpfriden/quæ ambigua & dubia sunt, intelligi debent, de vindicta quæ fit de facto & propria authoritate, non autem de vindicta licita & jure permissa, sc. actionem aut accusationem instituendo *Schurf. consil. 87. n. 8. & seqq. Cent. 3.*

AD L. LVII.

omissa causa testamenti: quia testator ei permisit electionem, atq; ita jure suo utitur. *l. 1. §. si proponatur 5. l. quia 6. §. planè ff. si quis omiss. causa test.* Et qui jure suo utitur, non videtur dolo facere *h. l.* neq; vim facere *l. factum 155. §. 1. h.* neq; fraudem *l. illud constat 13. ff. Quæ in fraud.* neq; damnum *l. fluminum 24. §. ult. proculus 26. ff. de damno infecto.* Sæpè enim quod sui juris tuendi gratiâ quisque facit, id alteri nocet *l. si finita § notandum ff. d. tit.* Similiter si domus non sit servitute onerata, potest neq; ad cœlum tolli, etiamsi luminibus vicini officiat *l. altius 8. l. si in ædibus C. de serv. & aq.* Ita potest quis aquam è suo fundo, ne ad eum perveniat, avertere, etiamsi vicini fundo noceat; nisi aquam illam jure servitutis recipere teneatur *l. 2. § idem Labeo 9. de aq. pluv. arc.* Ad eundem modum, cum eo qui in suo fodiens vicini fontem avertit, agi non potest *l. 1. § denius 12. de aq. & aqua pl.* Sic creditor qui sibi vigilavit, antequam bona ex edicto possideantur, & occupavit suum petere, non videtur fraudare cæteros: nec fraudat qui suum colligit h. e. repetit, exigit, quamvis sciverit debitorem solvendo non esse *l. 6. §. apud ff. Quæ in fraud. credit.* Quia jura vigilantibus, non dormientibus succurrunt *d. l. 6. & pen.*

2. Sanè si quis animo nocendi, & non utilitatis vel necessitatis causâ aliquid facit vel ædificat, quod non prosit ædificanti; sed alteri nocet, is est in dolo, & damnum ac injuriam alteri inferre dicitur, cui propterea prohiberi potest, ne faciat

vel

vel ædificet. Fit enim illud ad æmulationem & injuriam alterius, quod facere non licet *l. 1. §. deniq; & d. l. 2. §. idem Labeo 9. & l. opus novum 3. in pr. de operib. publ. And. Gail. 2. Obs. 69.*

AD L. LI.

Semper in dubijs benigniora præferenda sunt.

BEnigniora sunt, quæ æquitati naturali propria sunt. Æquitas enim omnis juris sit norma atq; regula: à quâ qui recedit, à jure ipso recedit. Benigniora itaq; vocantur in contractibus, quæ debitori *l. veteribus ff. de pact.* in ultimis voluntatibus, quæ heredi *l. cum tempus 17. eod.* in judicijs, pœnis & delictis, quæ reo *l. favorabiliores 168. eod.* patrocinantur, ut quam minimum onerentur. Inprimis verò hujus benignitatis usus maximus est in pœnis, docente Paulo in *l. factum 155. §. ult. eod.* In dubijs enim melius est de misericordia reprehendi, quàm de severitate *c. colligant 26. q. c. 7.* Quamobrem si lex vel statutum imponit pœnam capitalem, semper intelligitur de mitiori, utputa, de exilio, sive de deportatione *gl. in l. 1. C. Ne Christ. mancip. Myns. 2. Obs. 46. arg. l. licet corporalis. de verb. sign.* Atq; ita etiam verba illa, ulcisci, vindicare in den Uhrpfriden/ quæ ambigua & dubia sunt, intelligi debent, de vindicta quæ fit de facto & propria authoritate, non autem de vindicta licita & jure permissa, sc. actionem aut accusationem instituendo *Schurf. consil. 87. n. 8. & seqq. Cent. 3.*

AD L. LVII.

omissa causa testamenti: quia testator ei permisit electionem, atq; ita jure suo utitur. *l. 1. §. si proponatur 5. l. quia 6. §. plane ff. si quis omiss. causa test.* Et qui jure suo utitur, non videtur dolo facere *h. l.* neq; vim facere *l. factum 155. §. 1. h.* neq; fraudem *l. illud constat 13. ff. Quæ in fraud.* neq; damnum *l. fluminum 24. §. ult. proculus 26. ff. de damno infecto.* Sæpè enim quod sui juris tuendi gratiâ quisque facit, id alteri nocet *l. si finita § notandum ff. d. tit.* Similiter si domus non sit servitute onerata, potest neq; ad cœlum tolli, etiamsi luminibus vicini officiat *l. altius 8. l. si in ædibus C. de serv. & aq.* Ita potest quis aquam è suo fundo, ne ad eum perveniat, avertere, etiamsi vicini fundo noceat; nisi aquam illam jure servitutis recipere teneatur *l. 2. § idem Labeo 9. de aq. pluv. arc.* Ad eundem modum, cum eo qui in suo fodiens vicini fontem avertit, agi non potest *l. 1. § demus 12. de aq. & aqua pl.* Sic creditor qui sibi vigilavit, antequam bona ex edicto possideantur, & occupavit suum petere, non videtur fraudare cæteros: nec fraudat qui suum colligit h. e. repetit, exigit, quamvis sciverit debitorem solvendo non esse *l. 6. §. apud ff. Quæ in fraud. credit.* Quia jura vigilantibus, non dormientibus succurrunt *d. l. 6. & pen.*

2. Sanè si quis animo nocendi, & non utilitatis vel necessitatis causâ aliquid facit vel ædificat, quod non prosit ædificanti; sed alteri nocet, is est in dolo, & damnum ac injuriam alteri inferre dicitur, cui propterea prohiberi potest, ne faciat

vel

vel ædificet. Fit enim illud ad æmulationem & injuriam alterius, quod facere non licet *l.* 1. §. *deniq; & d. l. 2. §. idem Labeo 9. & l. opus novum 3. in pr. de operib. publ. Anth. Gail. 2. Obs. 69.*

AD L. LI.

Semper in dubijs benigniora præferenda sunt.

BEnigniora sunt, quæ æquitati naturali propria sunt. Æquitas enim omnis juris sit norma atq; regula: à quâ qui recedit, à jure ipso recedit. Benigniora itaq; vocantur in contractibus, quæ debitori *l. veteribus ff. de pact.* in ultimis voluntatibus, quæ heredi *l. cum tempus 17. eod.* in judicijs, pœnis & delictis, quæ reo *l. favorabiliores 168. eod.* patrocinantur, ut quam minimum onerentur. Inprimis verò hujus benignitatis usus maximus est in pœnis, docente Paulo in *l. factum 155. §. ult. eod.* In dubijs enim melius est de misericordia reprehendi, quàm de severitate *c. colligant 26. q. c. 7.* Quamobrem si lex vel statutum imponit pœnam capitalem, semper intelligitur de mitiori, utputa, de exilio, sive de deportatione *gl. in l. 1. C. Ne Christ. mancip. Myns. 2. Obs. 46. arg. l. licet corporalis. de verb. sign.* Atq; ita etiam verba illa, ulcisci, vindicare in den Uhrpfriden/ quæ ambigua & dubia sunt, intelligi debent, de vindicta quæ fit de facto & propria authoritate, non autem de vindicta licita & jure permissa, sc. actionem aut accusationem instituendo *Schurf. consil. 87. n. 8. & seqq. Cent. 5.*

AD L. LVII.

Hæc ſententia eſt *hujus legis*: Si quis per errorem aliquid dedit vel ſolvit, illud condictione indebiti repetere poteſt. Si non per errorem, ſed cum ſciret indebitum eſſe, nihilominus ſciens quid ſolvat, id non poteſt repetere; vel ceſſat ex cauſa indebiti petitio; quia donaſſe intelligitur *h. l. noſt. & l. 1. ff. de condict. indeb.* præſertim ſi nulla conjectura extet, ex qua alius, quàm donandi animus colligi poſſit: cum in dubio donare ſuumq; jactare nemo præſumatur *l. cum de indebito 25. in pr. de probat. Koppen. deciſ. 14. n. 1. & 2. Modeſt. Piſt. illuſt. quæſt. 38. n. 39. & ſeq. p. 3.* Hinc eſt, quod debitor qui ſciens uſuras indebitas ſolvit, ſorte ſoluta repetere illas poſſit: cum in hunc finē illas ſolviſſe præſumatur, ne importunus creditor ſolutionē urgeret *l. ſi non ſortem 26. ff. de condict. indeb.*

AD L. LIV.

Nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quàm ipſe haberet.

1. Hæc regula locum habet, tùm in actibus inter vivos, ſive in contractibus, & alienationibus, tum etiam in ultimis voluntatibus & ſucceſſionibus. In contractibus namq; non debeo melioris eſſe conditionis quàm autor meus, à quo jus in me tranſijt *l. in his 135. §. 1. h. tit.* Et ſic ſi quis dominium in fundo habuit, in tradendo illud transfert; ſi non habuit, nihil transfert ad eum qui accepit. Nam traditio nihil amplius transferre poteſt vel debet, ad eum qui accipit, quàm eſt apud eum qui tradit *l. traditio 20. ff. de acq. rer. dom.*

Eodem

Eodem modo in ſucceſſionibus nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quàm ipſe habet, h.e. Nemo plus commodi relinquit heredi, quàm ipſe habuit *l. nemo plus commodi 120. h. tit.* Quemadmodum & de legato reſpondit Ulpianus in *l. 121. §. fin. eod.* Abſurdum eſt, plus juris habere eum, cui legatus eſt fundus, quàm heredem aut ipſum teſtatorem ſi viveret. Qui itaq; in jus dominiumve alterius ſuccedit, jure ejus uti debet *l. qui in jus 177. eod.* Ergo quivis ſucceſſor, ſive ſingularis ſit, ſive univerſalis, in re quam accipit, aliud jus non conſequitur, quàm author ipſius habuit *d. l. traditio* 2.

AD L. LV.

Nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur.

CUjatius *ad h. legem* tale exemplum refert. Is qui prætermiſit cauſam teſtamenti, vel aditionem hereditatis, qua in re fraudantur legatarij, adit hereditatem ab inteſtato: quia erat proximus heres; & hoc erat in ejus poteſtate. Hic incidit in edictum: *Si quis omiſſa cauſa teſtamenti &c.* Proinde tenetur legatarijs, æquè ac ſi adijſſet ex teſtamento, quia dolo id facit. Sed contra non videtur dolo facere id, & ideo non incidit in edictum illud, ſi ſuo jure utatur; utputa, ſi inſtitutus eſt hæres in teſtamento, & ſimul ei à teſtatore facultas data eſt, ut ſi hæres eſſe nolit ex teſtamento, veniat ab inteſtato: Ille ſi omiſſa cauſa teſtamenti hereditatem ab inteſtato apprehendit, non facit hoc dolo, neq; incidit in edictum, *Si quis* 1.

vel ædificet. Fit enim illud ad æmulationem & injuriam alterius, quod facere non licet *l. 1. §. deniq; & d. l. 2. §. idem Labeo 9. & l. opus novum 3. in pr. de operib. publ. And. Gail. 2. Obs. 69.*

AD L. LI.

Semper in dubijs benigniora præferenda sunt.

BEnigniora sunt, quæ æquitati naturali propria sunt. Æquitas enim omnis juris sit norma atq; regula: à quâ qui recedit, à jure ipso recedit. Benigniora itaq; vocantur in contractibus, quæ debitori *l. veteribus ff. de pact.* in ultimis voluntatibus, quæ heredi *l. cum tempus 17. eod.* in judicijs, pœnis & delictis, quæ reo *l. favorabiliores 168. eod.* patrocinantur, ut quam minimum onerentur. Inprimis verò hujus benignitatis usus maximus est in pœnis, docente Paulo in *l. factum 155. § ult. eod.* In dubijs enim melius est de misericordia reprehendi, quàm de severitate *c. colligant 26. q. c. 7.* Quamobrem si lex vel statutum imponit pœnam capitalem, semper intelligitur de mitiori, utputa, de exilio, sive de deportatione *gl. in l. 1. C. Ne Christ. mancip. Myns. 2. Obs. 46. arg. l. licet corporalis. de verb. sign.* Atq; ita etiam verba illa, ulcisci, vindicare in den Whrpfriden/ quæ ambigua & dubia sunt, intelligi debent, de vindicta quæ fit de facto & propria authoritate, non autem de vindicta licita & jure permissa, sc. actionem aut accusationem instituendo *Schurf. consil. 87. n. 8. & seqq. Cent. 3.*

AD L. LVII.

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

BOna fides hic significat naturalem æquitatem. *Ea bona fides non patitur*, h.e æquitas naturalis, seu ipsa naturalis ratio non admittit, *ut bis idem exigatur*, sive, ut id quod semel solutum est, denuò petatur. Solutione enim ejus quod debetur, omnis obligatio tollitur §. *1. Inst. Quib. mod. toll. obligat.* Hinc si plures sint rei debendi, & unus ex his debitum solvat, omnium obligatio perimitur *§. pen. Inst. de duob. reis.* Et si quis ab eo qui semel debitũ persolvit, denuò fit exactio, ille exceptione doli se tueri potest: Qui n. æquitate defensionis infringere actionem potest, doli exceptione tutus est *l. qui æquitate 12. de doli mali & metus except.*

Excipitur unus casus, ubi quis solvit pecuniam debitam conventus ex chirographo, & negat se scripsisse chirographum & pecuniam accepisse. Ille n. convictus mendacij non potest solutionem allegare, sed coercendæ inficiationis causa bis idẽ hic exigitur, & ita duplũ solvere tenetur *No. 18. c. 8.*

Ad L. LVIII.

Ex pœnalibus causis non solet in patrem de peculio actio dari.

1. EX pænalibus causis, h.e. ex delictis vel maleficijs, vel ex causis, ex quibus pœna propter filijfamilias delictum irrogatur: *non datur in patrem actio de peculio.* Ubi enim pater filio peculiũ concessit, præsumitur voluisse quidem obligari, sed tantùm ex contractibus, quos filius instituit in peculio; non verò ex actu illicito. Et generalite

liter pater ex delicto filij non tenetur, nisi quatenus est locupletior factus, veluti si ex rapina vel furto filij quid ad eum pervenit, tum enim de eo quod ad eum pervenit, & quatenus locupletior factus est, tenetur *l.3. § ex furtiva ff. de pecul.*

At si pater filio peculium permisit, & eum ex peculio negotiari passus est, eatenus ex contractu filij tenetur jure prætorio, quatenus in peculio, filio concesso fuerit. Quia filius quidquid peculiari nomine apprehendit, id statim patri acquirit, & pater ejus statim id possidet *tot. tit. Instit. per quas pers. cuiq; acquir.* Et Prætori æquum visum est, sicut commoda sentimus, ex contractibus ipsorum, ita & nos conveniri *arg. l.1. de instit. act.* At jure civili pater pro filio ex nulla causa tenetur *tot. tit. C. Ne filius pro patre*, ne quidem ex contractu *§ actiones autem de peculio Instit. de action.* 2

AD L. LIX.

Heredem ejusdem potestatis jurisq; esse, cujus fuit defunctus, constat.

HEres, puta postquam ille adijt hereditatem, 1 est ejusdem potestatis & juris, cujus fuit defunctus. Quod enim defunctus potuit, id plerunq; heres ejus potest: & quod non potuit defunctus, illud nec heres potest. Sicut itaq; defunctus non potuit usucapere propter malam fidem, seu quod mala fide possidebat: ita nec heres potest *l. cum heres ff. de div. & temp. præscript.* Deinde ejus juris est heres cum defuncto: quia heres in omne jus mortui, non tantùm in singularium rerũ

dominium succedit *l. heres 37 ff. de acq. vel amitt. hered.* Hinc definitur hereditas, successio in universum jus quod defunctus, cum moreretur, habuit *l. hereditas 62. inf. eid.* Ac ob id heres contra factum defuncti venire non potest, hoc est, non potest revocare factum defuncti, adeoq; tenetur contractum ab eo initum servare *l. cum à 14. C. de rei vendicat.* Quod tamen tum demum obtinet, si factum defuncti sit validum: nam si id sit invalidum, & contra legis ac decreti prohibitionem, id heres servare non tenetur *Gail. 2. Obs. 154. n. 5.* Si heres non succedit in pœnam defuncti; quia actiones pœnales adversus heredem intentari non possunt, *l. si pœna 30. sup. eod.* Sic quoquè regulæ huic locus non est in ijs, quæ personæ defuncti cohærent, veluti sunt privilegia, ususfructus, pacta personalia, & similia, quæ ad heredem non extenduntur *l. unic. C. de privil. dotis l. idem 25. §. 1. de pact. & §. pen. Instit. de usufr. l. in omnibus causis 68. inf. h. tit.*

AD L. LX.

Semper qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur: sed & si quis ratum habuerit quod gestum est, obstringitur mandati actione.

DUo in hac regula traduntur: 1. Quod is qui non prohibet, pro se intervenire, mandare creditur. 2. Deinde ostenditur, etiam mādati actione obstringi, qui ratum habuit, quod gestum est.

1. Quod ad primum attinet, illud locum tantum habet de eo qui præsens est, & non contradicit, cum

eum tamen contradicendo impedire posset. Nam eo casu quo quis præsens & sciens est, in ea causa, ut contradicendo rem, de qua agitur, impedire possit, præsertim si de ipsius præjudicio & damno agatur, & tacet ac patitur, is qui tacet, consentire videtur *c. qui tacet. de reg. jur in 6.* Et quã præsens patitur aliquid suo nomine fieri, nec id prohibet, consentire imò mandare intelligitur *l. 1. § magistrum ff. de exercit. act.* Et sic si passus sum aliquem pro me fidejubere, vel aliàs intervenire, mandati teneor *l. si remunerandi 6. § si passus ff. mandati.* h. e. qui pro me præsente & tacente seu patiente fidejussit, potest à me repetere, actione mãdati, quod pro me solvit, non secus ac si illi expressè mandassem, aut rogassem eum, ut fidem suam pro me interponeret. Econtrariò si contradixi; & nihilominus quis pro me fidejussit, mandati non teneor: atq; ita qui fidejussit pro alio invito, actione mandati eum convenire, & quod ex fidejussione solvit, ab eo repetere nõ potest *d. l. si remunerandi §. 1. qui fide alterius 53. ff. eod.*

Circa secundum tenenda est regula; quod ratihabitio mandato comparetur, seu perinde habetur, ac si mandatum initio intervenisset. Sic si filiusfamilias citra patris mandatum pecuniam mutuam accepisset, postea pater verò ratum habeat, perinde est, ac si ab initio consensu, voluntate & mandato patris eam pecuniam mutuò accepisset; & eo pater tenetur, nec SCto Macedoniano se tueri potest, sed datur in eum actio, quod 8.

jussu

jussu *l.1.§.si ratum ff.quod jussu.* Quia hodiè omnis ratihabitio retrotrahitur,& confirmat ea quæ ab initio subsecuta sunt *l. ult. C. ad SC. Macedon.* Et hinc est regula juris canonici: Ratihabitionem retrotrahi & mandato comparari *c.ratihabitionē. de reg.jur.in 6.* Quæ regula omninò obtinet, quando aliquid ex defectu consensus retrovalidatur *l. fn. C. ad SC. Maced.* Habet quoq; hæc regula locum in maleficijs. Nam & in maleficijs ratihabitio comparatur *l. hoc jure utimur 152. §. in maleficio. h. tit. l.1. § sed etsi 14.ff. de vi & vi arm.* Similiter quemadmodum mandator cædis, æquè atq; is qui fecit, punitur: Ita quoq; si in rem meam factum est, & postea ratum habeo *d. l. hoc jure 152. § in maleficio. Gail. de pignorat. Obs. 5. n. 8. & obs.7. n.5. Myns.4. obs. 79.*

AD L. LXI.

Domum suam reficere unicuiq; licet, dum non officiat invito alteri, in quo jus non habet.

1. EX hac regula permittitur unicuiq; domum suam reficere; sed ita ne refectio cuiquam noceat. Jure enim suo ita quisq; uti debet, ut alteri injuriam non faciat. Qui ergò domum reficiet, nihil novi faciet, sed antiquam formam in reficiendo servabit, neq; sub titulo refectionis vicino officiat. Et hac de causa videmus in antiquis formulis non raro adjici hanc clausulam; VTI TIBI JVS EST: ut in interdicto de superficiebus *l. 1. ff.de superficieb.* Distinguendum itaq; hôc loco est inter jus ædificandi, & jus reficiendi sive restaurandi

randi

randi. *Ædificare sive facere* est de novo facere & extruere: *Reficere* est nihil aliud quàm corruptum ad pristinam formam seu statum reducere *l. 3. §. pen. ff. de itin. act. priv. l. 1. §. deinde ff. de rivis.*

Et hinc patet, ei qui reficit ædes, si pristinam formā servet ac nihil novi faciat, non posse novū opus nunciari. Namq; opus novum facere videtur, qui aut ædificando, aut detrahēdo aliquid, pristinam faciem operis mutat *l. 1. §. 11. ff. de novi oper. nunciat.* Et domum suam unicuiq; reficere licet *h. l. nost.* dummodo non officiat vicino qui ei servitutem non debet. Sed nec aliquis immittet quidquam in domum aut aream vicini, nisi jus immittendi habeat: nec alicui fumum ex loco suo superiori in ædificium alterius superius, neq; ex superiori in inferius aquam ducet vel immittit *l. sicut 8. §. Arist. ff. si serv. vindic.* Quod si verò quis jus in re aliena habet, eo potest uti; & si eo utitur, & vicino etiam nocet, non facit ei injuriam *l. nullus videtur dolo 55 sup. eod.* Et propterea Prætor in edicto suo his verbis usus est, UT TIBI JUS EST, REFICIAS. Ut jus est, h. e. sicuti per servitutem impositam licet *l. 3. §. fieri autem potest ff. de itin. actuq; priv.* 2.

AD L. LXII.

Hereditas nihil aliud est, quàm successio in universum jus, quod defunctus habuit.

JUlianus ait: *Hereditas est successio.* h. e. jus succedens in locum defuncti. Nam ut heredem fieri, est succedere, ita hereditas est successio. Sic 1.

matri-

matrimonium est conjunctio *l.1.de rit. nupt.* h. e. jus conjungens. Servitus est constitutio *l. 4. de stat.hom.* h. e, jus constitutum. Usucapio est adjectio domumq; *l. 3. de usucap.* h. e. jus adjiciens dominium. Et ita hereditas est successio *h. l. n.* h. e. jus sucedens, vel succedendi. Hereditas enim juris nomen est, sicut bonorum possessio *l. 3. §. hereditatis ff. de bon. poss.* Additur, *in universum jus quod defunctus* habuit: quia viventis nulla hereditas *l. 1. de collat. bon.* Et hinc JCtus ait: heres in omne jus mortui succedit *l. heres 37. ff. de acq. vel omitt. hered.* Et in quantitate patrimonij exquirenda, tempus mortis spectatur *l. in quantitate 73. in pr. ff. ad L. Falcid.* Hoc ergò modo hereditatis nomen propriè accipitur, nempe de jure successionis. Hinc JCti hereditatem sine ullo corpore, juris intellectum habere scribunt *l. hereditas 50. in pr. ff. de hered. petit.*

2. Aliquando quidem & apud JCtos nostros, hereditas etiam ipsa corpora seu bona quæ sunt in hereditate, denotat, sed impropriè. Et ita dicitur actio familiæ erciscundæ dari de hereditate dividenda, h. e. de rebus hereditarijs dividendis, *§. quædam Instit de act.* Competit enim hæc actio inter cohæredes, ut hereditas h. e. res hereditaria dividatur *l. 3. in pr. C. famil. ercisc.* Sic quoq; impropriè dicitur hereditas, quæ jam est adita. Hereditas namq; tantisper saltem nomen suum retinet, donec adeatur; post aditionem verò confusum cum bonis adventitijs, amittit nomen he-

reditatis

reditatis, & proprium patrimonium heredis dicitur *l. sed si plures §. si filio ff. de vulg. & pup.* & jam non amplius nudum jus, sed persona heredis, incipit locum personæ defunctæ tenere. Et cum propriè hereditas accipitur pro jure successionis, JCti dicunt, eam dividi & pro diviso possideri non posse *l. 8. in fin. ff. de rei vendic. l. per hoc judicium 4. in princ. ff. comm. divid.*

AD L. LXIII.

Qui sine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.

ILle sine dolo malo ad judicium provocat, qui probabiliter credit, se non debere quod ab eo petitur, & propterea mavult in judicio litigare, quam solvere: sive qui justè ad judicium provocat *l. si quis 21. in princ. ff. de usur.* Et hic non videtur moram facere, h. e. non facit moram, sive non est in mora. Quia bona fide adversarium se congruo loco & tempore appellantem, non solutionis differendæ causâ, ad judicium provocat: paratus id statim accipere, nec ulterius tergiversari, si paruerit dare facere se ei oportere. Aliud est, si dolo malo, h. est, lites ex litibus serens, simulet se judicio contendere paratum, ad hoc tantum, ut præsentem solutionem evadat, hujusmodi quæsito colore: cujus rei exempla apud Accursium *in l. quod te mihi dare 5. de reb. cred. & in l. si quis solutioni 24. de usur. & in l. ult. ff. de condict. furt.* Itaq; si heres, ignorans ex causa fortè emti aut venditi defunctum alicui obligatum fuisse, ad

ad judicium creditorem provcet, nullas idoneas debiti probationes proferentem; mora ei imputari non poterit *gl. ad h. l.* Mora enim est injusta tarditas debitoris, rem aut pecuniam, cujus nomine actio est, nō solventis. *l. nemo 82. in fin. de ver. obl.*

AD L. LXIV.

Ea quæ rarò accidunt, non temerè in agendis negotijs computantur.

VEtustissimum in condendis legibus præceptum est, ut constituantur jura in ijs quæ plerumq; accidunt, non in ijs quæ rarò *l. jura ff. de legib.* Et huc pertinet quoq; hæc Juliani regula: ubi dicit; *Ea quæ rarò accidunt* (quia rarum & nunquam ferè æquiparantur *c. coram 34. Ext. de offic. & potest. jud. deleg.*) *non temerè*, h. e. non facilè, *in agendis negotijs computantur*, h. e. eorum ratio non habetur in contractibus. Verba itaq; *in agendis negotijs* sic accipere oportet: in negotijs peragendis sive transigendis atq; contrahendis, sive maximè idoneis causis nullam esse rationem habendam earum rerum, quæ valdè rarò accidere solent. Quemadmodum autem in agendis seu contrahendis negotijs eorum, quæ perrarò accidunt, ratio vix unquam habetur; ita quoq; ex ijs quæ ἐκ παραλόγου, h. e. inopinato & fortè uno aliquo casu accidere possunt, jus non constituitur, h. e. in jure constituendo, non habetur ratio eorum quæ rarò accidunt, sed leges constituuntur ex ijs quæ sæpius fiunt & eveniunt: seu jus ad ea potius aptari debet, quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον, hoc est, ut

ut plurimum frequenter, plerunq; & facilè eveniunt *l. 3. 4. 5. & 10. ff de legib.* Cæterùm in hujusmodi agendis negotijs, *uti loquitur Julianus h. l.* ideò non solemus spectare ea, quæ raró accidunt, eò quod de illis inter contrahentes nihil actum fuisse præsumitur. Qua ratione fit, ut nemo in contrahendo casus fortuiti periculum in se suscepisse, nisi nominatim de eo cautum sit, aut aliqua alia justa causa adsit, existimetur: eoq; casus fortuitus regulariter non præstatur *l. contractus h. tit. ubi Accurs.* In determinatione juris elegans exemplum proponitur in *l. antiqui ff. si pars hered. pet.* de fœmina quæ septem pueros peperit. Et de quinquagenaria muliere liberos procreante rescripsit Justinianus *in l. si major C. de legit. hered.*

AD L. LXV.

Ea est natura cavillationis, quam græci σωρείτην appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur.

IDem ijsdem verbis traditur ab Ulpiano *in l. natura cavillationis 177. ff. de verb. sign.* Dicitur cavillatio à verbo antiquo calvitur *l. si calvitur 233. in pr. de verb. sign.* Et calvi, decipi est. Sorites dicitur hic, qui ex veris falsum efficere conatur: id fit, inquit hic Julianus & Ulpianus *in d. l. natura cavillationis,* cùm ab evidenter veris per brevissimas mutationes, hoc est, per captiones, argutias & fallacias interrogationum, disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducitur. Exemplum

plum extat *in l. qui quadraginta 88. ff. ad L. Falcid.* quam legem Cujatius *hic & in tract. ad Africanum* eleganter explicat. Tale quoq; exemplum esto: Heres estne successor? Certè. Quid verò; nonne & legatarius est successor? Sic sanè. Titius autem est legatarius. Ita: & successor igitur? Rectè. Deniq; & heres, quia successor. Hoc modo ab evidenter veris ad evidenter falsa gradatū deducitur. Quoniam ex eo quod successor quis est, protinus non sequitur, eum heredem esse: cum successores non sint unius generis, sed ab universalibus, *quales sunt heredes ac bonorum possessores*, successores singulares, *in quorum numero sunt legatarij*, longè distent: siquidem hi rei, illi juris successores existunt *l. quædam sunt 9. §. 1. ff. de edendo l. ait Prætor 7. §. ult. cum l. seq. ff. de jurejur. Cujat. ad d. l. qui quadraginta Philipp. Matth. ad h. l. nostr.* ubi aliud exemplum proponit. Res sacræ sunt ne nullius? Sic sanè. Sed nonne & feræ bestiæ nullius sunt? Certè. Feræ bestiæ autem occupanti conceduntur. Rectè. Volucres illius nullius sunt? Sic certè. Ergò & res sacræ occupanti conceduntur, quia nullius sunt. Et hic est sorites, hoc est cavillatio, de quo JCtus *in h. l.* agit. Sed & Sorites non semper cavillatio, sed justa argumentationis species est, de qua Aristoteles *in anteprædicamentis agit*: Et D. Philippus *in lib 3. Dialectices, de sorite.* Et hujus Soritis exemplum etjam habetur *in l. quæsitum 60. de re judic.*

AD L. LXVI.

Mar-

Marcellus ait, desinit debitor esse, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

DEbitor hic accipitur generaliter à quo invito quid exigi potest, sive pecunia exigi potest *l. debitor 108. de verb. sign.* per pecuniam autem non solum numerata pecunia sive nummi, verùm etiam omnis pecunia, hoc est, omnia corpora intelliguntur *l. pecuniæ verbum 178. in pr. d. tit.* Rectè autem dicitur: debitorem esse, à quo invito pecunia exigi potest *d. l. debitor.* Nam si debitor exceptione intentionem actoris elidere potest, quoniam ab eo invito exigi non potest, desinit esse debitor, *inquit* JC. *h. l.* quia revera debitor fuit. Qui verus debitor non fuit, non potest dici desiisse. Non enim desiisse videtur, qui nec incepit *l. Titio 96. ff. de condit. & demonstrat.* Desinit verò ideò, quia exceptio justa actionem excludit *l. 2. in pr. ff. de except.* Justa exceptio est, quæ jure civili recepta & legitima exceptio est: *Ab æquitate naturali non abhorrens exceptio* dicitur, quæ cum æquitate naturali, hoc est, cum æquo & bono sive jure naturę convenit. Si itaq; naturalis non est, sed ab æquitate naturali abhorreat, non tollit naturalem obligationem, sed civilem tantummodò. Itaq; is, cui exceptio SCti Macedoniani competit, revera debitor esse non desinit; quoniam exceptio hæc ab æquitate naturali abhorret: cum odio fœneratorum duntaxat inducta sit, neq; efficere possit, ut filiusfamilias, qui mutuam pe-

cuniam accepit, jure naturali liberatus censeri queat, antequam pecuniam acceptam solverit. Quam ob causam quoq; nec filiusfamilias, nec ipsius pater debitum hujusmodi, si per errorem solverit, repetere potest, quia solvit, quod natura debuit *l. qui exceptionem in princ. 40. ff. de condict. indeb. l. sed si paterfam. 9. § pen. & ult. de SCto.*

AD L. LXVII.

Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipietur, quæ rei gerendæ aptior est.

QUoties idem sermo duas sententias exprimit, hoc est, quoties ambigua est oratio *l. quoties in stipulationibus 80. de verb. oblig.* ea sententia potissimum excipietur, quæ rei gerendæ aptior est, hoc est, tum commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit, ac negotium potius valeat quàm pereat *d. l. quoties.* Nam in dubijs id semper agendum est, ut tutissimo loco sit res bona fide contracta *l. ubi 21. de reb. dub.* Exemplum est *in l. ex conducto 15. § Papinianus ff. locati. & in l. licet 8. C. eod.* Ubi dominus, qui colono pensionem præsentis anni ob sterilitatem donavit, non impeditur, quo minus sequentibus annis, quibus ubertas contigit, pensionem remissam exigere possit. Etsi enim donationis verbo usus est, illo tamen transigendi potius quàm donandi animo usus fuisse intelligitur: quod ex natura locationis in hujusmodi casu petitio pensionis tantisper differri soleat, tum sterilitas cum ubertate sequen-

ſequentium annorum compenſetur. Neq; enim ſciri poteſt, an propter ſterilitatem remiſſio mercedis fieri debeat; niſi etiam ſciatur, quando agri ſterilitate laboraſſe dicantur *Vaſq. lib. 3. contro. uſu freq. cap. 14. n. 2. & ſeqq.*

AD L. LXVIII.

In omnibus cauſis id obſervatur, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea beneficium quoq; deficiat. ubi verò genus actionis id deſiderat, ibi ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilij.

Paulus JC. hic docet: Beneficium, *hoc eſt privilegium* perſonale, ſeu ob perſonam indultum, cum perſona extingui. Hoc enim volunt verba illa; *ubi perſonæ conditio locum facit beneficio*, hoc eſt, ubi beneficium vel privilegium indulgetur ob perſonam: *ibi deficiente ea beneficium quoq; deficit*, hoc eſt, extincta perſona, ob quam beneficium vel privilegium indulgetur, ipſum quoq; beneficium vel privilegium deficit. Deinde ſequentibus verbis, *Ubi verò genus actionis id deſiderat, ibi ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilij*: docet JC. Paulus, Beneficium ſive privilegium actioni ſive rei aut cauſæ datum cum actione, re vel cauſa ad heredes tranſire. Ratio regulæ hujus diſtinctionis evidens eſt. Quæ enim perſonis beneficia tribuuntur; quia perſonis ipſis conceduntur, & favorem ejus reſpiciunt; cum eis intereunt, nec ad heredem, aut fidejuſſorem, aut alium ſucceſſorem in rem tranſ- 1.

eunt. *l. ex pluribus 41. ff. de administ. tut.* Quæ autem causæ, aut actioni, aut prædio, aut deniq; cuicunq; rei beneficia indulgentur; quia rerum ipsarum beneficia sunt, non personarum: ad omnes, ad quos res transijt, cum ipsa re transferuntur. Idem tradit Modestinus *in l. privilegia 196. h. t.* ubi scribit, privilegia quædam *causæ* esse, quædam *personæ*; & adeò quædam ad heredem transmitti, quæ *causæ* sunt; quæ personæ sunt, ad heredem non transire.

2. Sic beneficium indultum marito ut condemnetur in id quod facere potest, heredi ejus non præstatur; quia privilegium personale est, & cũ persona extinguitur *l. maritum 12. & 2. seqq. ff. soluto matrim.* Ita ergò vir, à quo dos repetitur, privilegio utitur, ut condemnetur tantùm in id quod facere potest. Sed hoc privilegium non transit ad heredem: quia personale tantùm est, & heres damnatur in solidum. Sic privilegium dotis quod habet mulier, ut præferatur omnibus creditoribus, est personale; & idcircò ad heredes nõ transit, nisi sit filius *d. l. maritum 12. & 2. seqq. & l. unic. C. de privil. dotis.* Et sic actio de dote non est privilegiata, sed persona mariti, itemq; mulieris *§. item si de dote Instit. de act.*

3. Contr
res tran
rebus
ced
he

non solùm datur *l. si filiusfamilias 31. §. ult. ff. de relig. & sumpt. fun.* sed etiam datur cum privilegio, Sicut heres non minus quàm antecessor, qui videlicet funus fecit, creditoribus omnibus præferatur *l. pen. eod.* quoniam causa funeris, & non persona funus facientis, privilegium hoc meruit. Hujus generis sunt quoq; privilegia Academiæ, civitati vel familiæ cuipiam tributa: hæc enim non personis, sed generaliter Academiæ, civitati, vel familiæ, atq; ita omnibus, qui nunquam in illa Academia, Civitate vel familia futuri sunt, concessa intelliguntur, & idcircò ad posteros transmittantur *l. 4. §. quanquam ff. de censib. Phil. Matth. ad h. l. n. 28. & seq.*

AD L. LXIX.

Invito beneficium non datur.

BEneficia sive privilegia non dantur invito, hoc est, potest quis ijs uti, si vult; potest verò etiam non uti: & invitus nemo cogitur uti. Atq; ita tacendo potest quis hujusmodi beneficia omittere. Potest quoq; ijs expressè renunciare. Omnes enim habemus licentiam [illegible]nciandi ijs quæ pro nobis introducta su[illegible] *[illegible]n conscribendo 11. C. de [illegible]ler. & [illegible] pact.* Atq; [illegible]tione[illegible]i, i[illegible] integrum [illegible]eg[illegible], restituti[illegible]. Sic mulier, [illegible]t, potest, si [illegible] & opposito [illegible]nem repellere: potest

potest quoq; huic beneficio renunciare, quia in solum mulierum favorem introductum est *l. 2. ff. ad SC. Vell.* Sic fidejussor potest beneficio epistolæ D. Adriani uti; eoq; opposito cogere heredē, ut actiones inter fidejussores dividantur. Potest quoq; fidejussor huic beneficio expressè renunciare, quia hoc beneficium fidejussorum gratiâ est constitutum, *§ si plures Inst. de fidejuss.* Unde intelligitur huic regulæ locum esse, quando agitur saltem de interesse ejus in quem beneficium confertur. Hinc est, quod invito debitore solvi potest *l. solvendo 39. ff. de negot. gest. l. solutione 33. de solut. in pr. Instit. Quib. mod. toll. obligat.* Nam illud ideò admittitur, quia non debitoris solum, sed creditoris etiam interest, solutionem fieri. Et ideò etiam invito honores & dignitates deferuntur: quia Reip. interest etiam, benè meritos ad dignitates evehi *l. 3. § præses ff. de munerib. & hon.* Sic domino etiam invito acquiritur *l. etiam invitu ff. de acq. rer. dom.* quia hoc beneficium non principaliter, sed per cōsequentiam domino obvenit *§ item nobis acquiritur Inst. per quas personas cuiq; acquir.*

AD L. LXX.

Nemo potest gladij potestatem sibi datam, vel cujus alterius coercitionis, ad alium transferre.

NEmo potest gladij potestatem sibi datam in alium transferre, hoc est, nemo potest jus gladij, sive merum imperium alteri mandare vel dele-

delegare; quia illud datur lege *l.1.de offic. ejus cui.* Sanè, quod de gladij potestate dicitur, id Ulpianus etiam ad alias coërcitiones extendit. Subjicit enim: *vel cujus alterius coërcitionis h.l.n.& l.solent ff. de offic. præs.* Quicquid enim coërcitionis est supra modicam castigationem, meri imperij est *Salomon in l.1.ff. si quis jus dic.* Et est quædam coercitio etiam capitalis, quæ ad corporis punitionem pertinet, & habet publicam coërcitionem *l. hæc stipulatio 200. de verb. sign.* Cæterùm gladij potestas hodie jure magistratus competit his, qui ex speciali privilegio, aut consvetudine, vel præscriptione illam acquisiverunt, atq; ita hinc per alios etiam potestatem ejusmodi exercere posse, scribit Bartolus in *l. more 5.n.9. de jurisdict.* cui complures juris interpretes contradicunt *Covarr. c. ult. lib. 3. Varr. resolut. Monoch. lib. 1. de arb. jud. quæst. quæstione 54. n 3. de quo alibi dictum.*

AD L. LXXI.

Omnia quæcunq; causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

HÆc regula sumta est ex *l. nec quicqam 9. §. 1. 4. de offic. Proconf.* ubi eadem verba habemus, cum ipsius regulæ interpretatione. Ex qua intelligimus, hanc esse horum verborũ sententiã; Ubicunq; causæ cognitio & decreti jus dicentis interpositio necessaria est; causa cognita pro tribunali idem examinari, & decreti interpositione expediri oportere, non per libelli de plano factam subscriptionem; sive quod idem est, per plena-

riam interpellationem. Cujus legis contextus evincit, *de plano* cognoſcere, ac *pro tribunali* cognoſcere, adverſa eſſe *d. l. 9. § de plano ff. de offic. Proc.* Cauſasq; quasdam de plano, ſeu ut Ulpianus *hic* loquitur, per libellum expediri poſſe; quasdam verò ſic comparatas eſſe, ut non per libellum, ſed pro tribunali diſcuti queant *l. abolitio ff. ad SC.Turpil.* Quæcunq; igitur cauſæ cognitionem deſiderant, hoc eſt, quæ deſiderant decretum prætoris ſive magiſtratus. (Ubicunq; enim cauſæ cognitio eſt, ibi prætor deſideratur *l. ubicunq; 105. inf. eodem tit.* ſive tribunal *l. 3. §. ſi cauſa ff. de bon. poſſ.*) per libellum expediri non poſſunt, hoc eſt, non poſſunt expediri de plano, ſive à judice dato, ſive ſpeciali ac pedaneo, ad libellum ſive ſolam ſupplicationem unius partis, ſed illa magiſtratus, prævia citatione, utriusq; partis allegatione, pro tribunali audiat, ac tandem omnibus benè ponderatis ſententiam ferat. *l. 3. §. pen. de bon. poſſ. l judices 9. junct. Auth. jubemus C. de judic.* Pro tribunali cognoſcere, eſt ex ſuperiori loco cognoſcere, Tribunal enim eſt locus ſublimis & editus, quo magiſtratus conſidentes jus dicunt, βῆμα græci vocant. De plano cognoſcere, eſt ex plano & æquo loco cognoſcere. Et ea forma judices Pedanei χαμαδικασταὶ dicuntur, quod plano pede inq; ſubſelliis judicant, nec tribunal habeant. Et idem eſt per libellum expedire. Nam & hæc duo *pro tribunali, & per libellum*, in libris noſtris opponuntur *l. 2. C. Quemadm. teſtam. aper.*

Exem-

Exemplum extat *in l. minorum 6. C. de præd. min. sine decreto non alien.* ubi ad hoc ut prædia minorum cum decreto alienata dicantur, satis non est, si tutor adeat Prætorem, sibiq; potestatem alienandi prædia minorum dari libello petat: sed necesse est, ut de causis venditionis solenniter apud acta cognoscatur. Sic tutor per libellum se excusare non potest, quia excusationi hujusmodi locus non est, nisi cum decreto magistratus *l. excusare 25. ff. de excusat. l. si cum 39. eod. tit.*

AD L. LXXII.

Fructus rei est, vel pignori dare licere.

FRuctus nomen hoc in loco nihil aliud quàm commoditatem & utilitatem significat, quam in re habemus. Ut ita sententia horum verborum: *Fructus rei est, vel pignori dare licere*, sit hæc: Inter alias utilitates, quas ex rebus nostris percipimus, etiam hæc est commoditas, ut liceat nobis res nostras pignori dare, sive oppignorare; quæ utilitas in eo versatur, quod sæpissimè usu venit, ut pignoribus cavendum sit, negocij facilius expediendi gratiâ *l. ult. de usuris.* Eum fructum mihi is eripit, qui me impedit, quo minus rem meam pignori dare possim. V. G. qui rem meam me invito possidet: Et hanc ob causam, quando possessor rei meæ convenitur rei vendicatione, in fructus meritò condemnatur *l. certum est 22. C. de rei vendic.* Et in fructu inter cætera numeratur, quod in ea re pignori data mutuam pecuniam accipere potuissem, si habuissem: & rectè

à me

à me postulatur, ut ejus ratio habeatur. Ac quando in rei vendicatione adversarius condemnatur ad restitutionem, tum condemnatur non tantum ad restitutionem rei ipsius, verum etiam ad restitutionem fructuum. Nam restituere ille intelligitur, qui simul & causam actori reddit, quam is habiturus esset, si statim judicij accepti tempore res ei reddita fuisset *l. restituere 35. de verb. sign.* Sic quod dicitur in confessoria actione fructus venire hunc sensum habet, ut omne commodum habeat, quod habiturus fuisset actor, si servitute usus esset *l. 6. § 1. ff. si serv. vindic. l. videamus 19. in fin. de usuris.*

AD L. LXXIII.

Quò tutela redit, eò hereditas pervenit; nisi cum fœminæ heredes intercedunt.

1. SEnsus legis est: Testamentarijs tutoribus sc. non extántibus, tunc ad eum spectat tutela, ad quem pertinet hereditas ab intestato, & id summa providentia constitutum est, ut qui sperarent hãc successionem ijdem tenerentur bona prospicere, ne bona dilapidarentur *l. 1. in princ. ff. de tutorib. legitt.* Quia autem ad fœminas quidem hereditas redit, sed tutela ad eos non pertineat, ideò JC. hic exceptionem subjicit; *Nisi cum fœminæ heredes intercedunt*, hoc est, licet hereditas ad fœmínas pertinet, tamen tutela ad eas non venit *d. l. 1. §. 1. l fin. ff. de tutelis.* Ratio est: quoniam tutela munerbus publicis adnumerantur, à quibus regulariter fœminæ remotæ sunt *l. 2. sup. eod.* Sic furio-

furiosus & minores XXV. annis, licet ad hereditatem admittuntur, tamen quia ipsi rebus suis utiliter præesse non possunt, à tutelæ administratione arcentur *l. ult. C. de legit. tutorib. § item propter adversam valetudinem §. item major Instit. de excusat. tut.*

AD § I.

Nemo potest tutorem dare cuipiam, nisi ei quem in suis heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si vixisset.

PRæcedens *regula* LXXIII. egit de legitima tutela *In hoc* §. Scævola explicat; Qui & quibus testamento tutores dari possint; dum ait, *neminem posse cuiquam tutorem dare, nisi ei, quem in suis heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve fuisset, si vixisset.* Sententia itaq; est: solos parentes dare testamento tutores liberis impuberibus jam natis, vel posthumis seu nascituris, dummodò eos in potestate habeant tempore mortis, aut habituri fuissent, si vixissent. Et hi sui sunt heredes, qui in potestate morientis sunt, & quos gradu nemo antecedit §. *sui autem Instit. de hered. qual. & differ.* 2.

AD § 2.

Vi factum id videtur esse, quâ de re quis, cum prohibetur, facit: etiam, quod quisq; cum controversiam haberet, habiturumve se putaret, fecit.

IN hac lege JCtus Scævola docet, quid sit vi vel clã factũ. Quod utrũq; planius & plenius definitur *in l. 1. §. quid si vi vel clam 5. & §. seqq. ff. Quod* 3.

vi

cuniam accepit, jure naturali liberatus censeri queat, antequam pecuniam acceptam solverit. Quam ob causam quoq; nec filiusfamilias, nec ipsius pater debitum hujusmodi, si per errorem solverit, repetere potest, quia solvit, quod natura debuit *l. qui exceptionem in princ. 40. ff. de condict. indeb. l. sed si paterfam. 9. § pen. & ult. de SCto.*

AD L. LXVII.

Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipietur, quæ rei gerendæ aptior est.

QUoties idem sermo duas sententias exprimit, hoc est, quoties ambigua est oratio *l. quoties in stipulationibus 80. de verb. oblig.* ea sententia potissimum excipietur, quæ rei gerendæ aptior est, hoc est, tum commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit, ac negotium potius valeat quàm pereat *d. l. quoties.* Nam in dubijs id semper agendum est, ut tutissimo loco sit res bona fide contracta *l. ubi 21. de reb. dub.* Exemplum est *in l. ex conducto 15. § Papinianus ff. locati. & in l. licet 8. C. eod.* Ubi dominus, qui colono pensionem præsentis anni ob sterilitatem donavit, non impeditur, quo minus sequentibus annis, quibus ubertas contigit, pensionem remissam exigere possit. Etsi enim donationis verbo usus est, illo tamen transigendi potius quàm donandi animo usus fuisse intelligitur: quod ex natura locationis in hujusmodi casu petitio pensionis tantisper differri soleat, tum sterilitas cum ubertate sequen-

ſequentium annorum compenſetur. Neq; enim ſciri poteſt, an propter ſterilitatem remiſſio mercedis fieri debeat; niſi etiam ſciatur, quando agri ſterilitate laboraſſe dicantur *Vaſq. lib. 3. controv. uſu freq. cap. 14. n. 2. & ſeqq.*

AD L. LXVIII.

In omnibus cauſis id obſervatur, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea beneficium quoq; deficiat. ubi verò genus actionis id deſiderat, ibi ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilij.

PAulus JC. hic docet: Beneficium, *hoc eſt privilegium* perſonale, ſeu ob perſonam indultum, cum perſona extingui. Hoc enim volunt verba illa; *ubi perſonæ conditio locum facit beneficio*, hoc eſt, ubi beneficium vel privilegium indulgetur ob perſonam: *ibi deficiente ea beneficium quoq; deficit*, hoc eſt, extincta perſona, ob quam beneficium vel privilegium indulgetur, ipſum quoq; beneficium vel privilegium deficit. Deinde ſequentibus verbis, *Ubi verò genus actionis id deſiderat, ibi ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilij*: docet JC. Paulus, Beneficium ſive privilegium actioni ſive rei aut cauſæ datum cum actione, re vel cauſa ad heredes tranſire. 1.
Ratio regulæ hujus diſtinctionis evidens eſt. Quæ enim perſonis beneficia tribuuntur; quia perſonis ipſis conceduntur, & favorem ejus reſpiciunt; cum eis intereunt, nec ad heredem, aut fidejuſſorem, aut alium ſucceſſorem in rem tranſ-

eunt. *l. ex pluribus 41. ff. de administ. tut.* Quæ autem causæ, aut actioni, aut prædio, aut deniq; cuicunq; rei beneficia indulgentur; quia rerum ipsarum beneficia sunt, non personarum: ad omnes, ad quos res transijt, cum ipsa re transferuntur. Idem tradit Modestinus *in l. privilegia 196. h. t.* ubi scribit, privilegia quædam *causæ* esse, quædam *personæ*; & adeò quædam ad heredem transmitti, quæ *causæ* sunt; quæ personæ sunt, ad heredem non transire.

2. Sic beneficium indultum marito ut condemnetur in id quod facere potest, heredi ejus non præstatur; quia privilegium personale est, & cũ persona extinguitur *l. maritum 12. & 2. seqq. ff. soluto matrim.* Ita ergò vir, à quo dos repetitur, privilegio utitur, ut condemnetur tantùm in id quod facere potest. Sed hoc privilegium non transit ad heredem: quia personale tantùm est, & heres damnatur in solidum. Sic privilegium dotis quod habet mulier, ut præferatur omnibus creditoribus, est personale; & idcircò ad heredes nõ transit, nisi sit filius *d. l. maritum 12. & 2. seqq. & l. unic. C. de privil. dotis.* Et sic actio de dote non est privilegiata, sed persona mariti, itemq; mulieris *§. item si de dote Instit. de act.*

3. Contrà, realia privilegia ad quosvis successores transeunt *l. 3. §. 1. ff. de censib.* ubi Ulpianus ait: rebus concessam immunitatem non debere intercedere. Exemplum est in actione funeraria, quæ heredi ejus, qui in funus defuncti impensas fecit,

non

non solùm datur *l. si filiusfamilias 31. §. ult. ff. de relig. & sumpt. fun.* sed etiam datur cum privilegio, Sicut heres non minus quàm antecessor, qui videlicet funus fecit, creditoribus omnibus præferatur *l. pen. eod.* quoniam causa funeris, & non persona funus facientis, privilegium hoc meruit. Hujus generis sunt quoq; privilegia Academiæ, civitati vel familiæ cuipiam tributa: hæc enim non personis, sed generaliter Academiæ, civitati, vel familiæ, atq; ita omnibus, qui nunquam in illa Academia, Civitate vel familia futuri sunt, concessa intelliguntur, & idcircò ad posteros transmittantur *l. 4. §. quanquam ff. de censib. Phil. Matth. ad h. l. n. 28. & seq.*

AD L. LXIX.

Invito beneficium non datur.

BEneficia sive privilegia non dantur invito, hoc est, potest quis ijs uti, si vult; potest verò etiam non uti: & invitus nemo cogitur uti. Atq; ita tacendo potest quis hujusmodi beneficia omittere. Potest quoq; ijs expressè renunciare. Omnes enim habemus licentiam renunciandi ijs quæ pro nobis introducta sunt *l. si quis in conscribendo 11. C. de Episc. & cler. & l. pen. C. de pact.* Atq; hac ratione licet minori, impetrata in integrum restitutione, sive in integrum restituto, restitutione non uti *l. si judex 41. ff. de minorib.* Sic mulier, quæ pro alio intervenit seu intercessit, potest, si vult, uti beneficio SCti Vellejani; & opposito hoc beneficio SC. Vellejani, actionem repellere:

potest quoq; huic beneficio renunciare, quia in solum mulierum favorem introductum est *l. 2 ff. ad SC. Vell.* Sic fidejussor potest beneficio epistolæ D. Adriani uti; eoq; opposito cogere heredẽ, ut actiones inter fidejussores dividantur. Potest quoq; fidejussor huic beneficio expressè renunciare, quia hoc beneficium fidejussorum gratiâ est constitutum, *§ si plures Inst. de fidejuss.* Unde intelligitur huic regulæ locum esse, quando agitur saltem de interesse ejus in quem beneficium confertur. Hinc est, quod invito debitore solvi potest *l. solvendo 39. ff. de negot. gest. l. solutione 33. de solut. in pr. Instit. Quib. mod. toll. obligat.* Nam illud ideo admittitur, quia non debitoris solum, sed creditoris etiam interest, solutionem fieri. Et ideo etiam invito honores & dignitates deferuntur: quia Reip. interest etiam, benè meritos ad dignitates evehi *l. 3. § præses ff. de munerib. & hon.* Sic domino etiam invito acquiritur *l. etiam invitu ff. de acq. rer. dom.* quia hoc beneficium non principaliter, sed per cõsequentiam domino obvenit *§ item nobis acquiritur Inst. per quas personas cuiq; acquir.*

AD L. LXX.

Nemo potest gladij potestatem sibi datam, vel cujus alterius coercitionis, ad alium transferre.

NEmo potest gladij potestatem sibi datam in alium transferre, hoc est, nemo potest jus gladij, sive merum imperium alteri mandare vel dele-

delegare; quia illud datur lege *l. 1. de offic. ejus cui.* Sanè, quod de gladij potestate dicitur, id Ulpianus etiam ad alias coërcitiones extendit. Subjicit enim: *vel cujus alterius coërcitionis h. l. n. & l. solent ff. de offic. praes.* Quicquid enim coërcitionis est supra modicam castigationem, meri imperij est *Salomon in l. 1. ff. si quis jus dic.* Et est quaedam coercitio etiam capitalis, quae ad corporis punitionem pertinet, & habet publicam coërcitionem *l. haec stipulatio 200. de verb. sign.* Caeterùm gladij potestas hodie jure magistratus competit his, qui ex speciali privilegio, aut consvetudine, vel praescriptione illam acquisiverunt, atq; ita hinc per alios etiam potestatem ejusmodi exercere posse, scribit Bartolus in *l. more 5. n. 9. de jurisdict.* cui complures juris interpretes contradicunt *Covarr. c. ult. lib. 3. Varr. resolut. Monoch. lib. 1. de arb. jud. quaest. quaestione 54. n 3. de quo alibi dictum.*

AD L. LXXI.

Omnia quaecunq; causae cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

HÆc regula sumta est ex *l. nec quicqam 9. §. 1. 4. de offic. Procons.* ubi eadem verba habemus, cum ipsius regulae interpretatione. Ex qua intelligimus, hanc esse horum verborũ sententiã; Ubicunq; causae cognitio & decreti jus dicentis interpositio necessaria est; causa cognita pro tribunali idem examinari, & decreti interpositione expediri oportere, non per libelli de plano factam subscriptionem; sive quod idem est, per plena-

giam interpellationem. Cujus legis contextus evincit, *de plano* cognoscere, ac *pro tribunali* cognoscere, adversa esse *d. l. 9. § de plano ff. de offic. Proc.* Causasq; quasdam de plano, seu ut Ulpianus *hic* loquitur, per libellum expediri posse; quasdam verò sic comparatas esse, ut non per libellum, sed pro tribunali discuti queant *l. abolitio ff. ad SC. Turpil.* Quæcunq; igitur causæ cognitionem desiderant, hoc est, quæ desiderant decretum prætoris sive magistratus. (Ubicunq; enim causæ cognitio est, ibi prætor desideratur *l. ubicunq; 105. inf. eodem tit.* sive tribunal *l. 3. §. si causa ff. de bon. poss.*) per libellum expediri non possunt, hoc est, non possunt expediri de plano, sive à judice dato, sive speciali ac pedaneo, ad libellum sive solam supplicationem unius partis, sed illa magistratus, prævia citatione, utriusq; partis allegatione, pro tribunali audiat, ac tandem omnibus benè ponderatis sententiam ferat. *l. 3. §. pen. de bon. poss. l judices 9. junct. Auth. jubemus C. de judic.* Pro tribunali cognoscere, est ex superiori loco cognoscere, Tribunal enim est locus sublimis & editus, quo magistratus considentes jus dicunt, βῆμα græci vocant. De plano cognoscere, est ex plano & æquo loco cognoscere. Et ea forma judices Pedanei χαμαιδικασταὶ dicuntur, quod plano pede inq; subselliis judicant, nec tribunal habeant. Et idem est per libellum expedire. Nam & hæc duo *pro tribunali, & per libellum*, in libris nostris opponuntur *l. 2. C. Quemadm. testam. aper.*

Exem-

Exemplum extat *in l. minorum 6. C. de præd. min. sine decreto non alien.* ubi ad hoc ut prædia minorum cum decreto alienata dicantur, satis non est, si tutor adeat Prætorem, sibiq; potestatem alienandi prædia minorum dari libello petat: sed necesse est, ut de causis venditionis solenniter apud acta cognoscatur. Sic tutor per libellum se excusare non potest, quia excusationi hujusmodi locus non est, nisi cum decreto magistratus *l. excusare 25. ff. de excusat. l. si cum 39. eod. tit.*

AD L. LXXII.

Fructus rei est, vel pignori dare licere.

FRuctus nomen hoc in loco nihil aliud quàm commoditatem & utilitatem significat, quam in re habemus. Ut ita sententia horum verborum: *Fructus rei est, vel pignori dare licere*, sit hæc: Inter alias utilitates, quas ex rebus nostris percipimus, etiam hæc est commoditas, ut liceat nobis res nostras pignori dare, sive oppignorare; quæ utilitas in eo versatur, quod sæpissimè usu venit, ut pignoribus cavendum sit, negocij facilius expediendi gratiâ *l. ult. de usuris.* Eum fructum mihi is eripit, qui me impedit, quo minus rem meam pignori dare possim. V. G. qui rem meam me invito possidet: Et hanc ob causam, quando possessor rei meæ convenitur rei vendicatione, in fructus meritò condemnatur *l. certum est 22. C. de rei vendic.* Et in fructu inter cætera numeratur, quod in ea re pignori data mutuam pecuniam accipere potuissem, si habuissem: & rectè

à me

à me postulatur, ut ejus ratio habeatur. Ac quando in rei vendicatione adversarius condemnatur ad restitutionem, tum condemnatur non tantum ad restitutionem rei ipsius, verum etiam ad restitutionem fructuum. Nam restituere ille intelligitur, qui simul & causam actori reddit, quam is habiturus esset, si statim judicij accepti tempore res ei reddita fuisset *l. restituere 35. de verb. sign.* Sic quod dicitur in confessoria actione fructus venire hunc sensum habet, ut omne commodum habeat, quod habiturus fuisset actor, si servitute usus esset *l. 6. § 1. ff. si serv. vindic. l. videamus 19. in fin. de usuris.*

Ad L. LXXIII.

Quò tutela redit, eò hereditas pervenit; nisi cum fœminæ heredes intercedunt.

1\. Sensus legis est: Testamentarijs tutoribus sc. non extantibus, tunc ad eum spectat tutela, ad quem pertinet hereditas ab intestato, & id summa providentia constitutum est, ut qui sperarent hāc successionem ijdem tenerentur bona prospicere, ne bona dilapidarentur *l. 1. in princ. ff. de tutorib. legitt.* Quia autem ad fœminas quidem hereditas redit, sed tutela ad eos non pertineat, ideò JC. hic exceptionem subjicit; *Nisi cum fœminæ heredes intercedunt*, hoc est, licet hereditas ad fœminas pertinet, tamen tutela ad eas non venit *d. l. 1. §. 1. l fin. ff. de tutelis.* Ratio est: quoniam tutela munerbus publicis adnumerantur, à quibus regulariter fœminæ remotæ sunt *l. 2. sup. eod.* Sic furio-

furiosus & minores XXV. annis, licet ad hereditatem admittuntur, tamen quia ipsi rebus suis utiliter præesse non possunt, à tutelæ administratione arcentur *l. ult. C. de legit. tutorib. § item propter adversam valetudinem §. item major Instit. de excusat. tut.*

AD § I.

Nemo potest tutorem dare cuipiam, nisi ei quem in suis heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si vixisset.

PRæcedens *regula* LXXIII. egit de legitima tutela *In hoc* §. Scævola explicat; Qui & quibus testamento tutores dari possint; dum ait, *neminem posse cuiquam tutorem dare, nisi ei, quem in suis heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve fuisset, si vixisset.* Sententia itaq; est: solos parentes dare testamento tutores liberis impuberibus jam natis, vel posthumis seu nascituris, dummodò eos in potestate habeant tempore mortis, aut habituri fuissent, si vixissent. Et hi sui sunt heredes, qui in potestate morientis sunt, & quos gradu nemo antecedit §. *sui autem Instit. de hered. qual. & differ.* 2.

AD § 2.

Vi factum id videtur esse, quâ de re quis, cum prohibetur, facit: etiam, quod quisq; cum controversiam haberet, habiturumve se putaret, fecit.

IN hac lege JCtus Scævola docet, quid sit vi vel clā factū. Quod utrūq; planius & plenius definitur *in l. 1. §. quid si vi vel clam 5. & §. seqq. ff. Quod* 3.

vi

vi aut clam & in l. de pupillo 5. §. meminisse. ff. de novi oper. nunciat.

Ad §. pen.

Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent.

4. Verba hujus regulæ de iis accipi debent, quæ ita in tabulis testamenti scripta sunt, ut intelligi omninò nequeant; ut illa non torqueantur ad divinationem quandam quam testator senserit, sed tanquam inutilia scripta rejiciantur. Idem docetur in *l. 2. ff. de his quæ pro non script. hab.* Et est casus in *l. duo sunt Titij 30. ff. de testam. tut.* Quod autem hic de testamentis dicitur, ad omnia scriptorum genera transferri potest: in omnibus enim eadem est ratio, quorum sententia nulla reperiri potest.

Ad §. ult.

Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest.

5. Sententia hujus regulæ est; neq; principaliter paciscendo, neq; certam legem contractui per conventionem in alterius personam collatam dando, neque etiam solenniter stipulando alteri quicquam nos acquirere posse, puta obligationem, aut exceptionem, aut quid aliud. Quia tales pactiones & stipulationes ideò comparatæ sunt, ut adquiramus quod nostrâ interest; non ut aliis consulamus, quibus caveri nostrâ nihil interest *§. alteri 20. Instit. de inutilib. stipul.*

AD

AD L. LXXIV.

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

SEnsus est: Quod qui facit, per se vel cum alio, non debet in alterius tertij detrimentum redundare; seu non debet ex alieno facto causa alicujus fieri deterior. Nam factum cuiq; suum, non alteri nocere debet *l. factum 155. h. tit.* seu non debet nocere factum alterius eo qui nihil fecit *l. de pupillo 5. §. si plurium ff. de novi oper. nunciat.* Unusquisq; enim seipsum obligare, suamq; conditionem paciscendo deteriorem facere potest *l. pactum 46. de pact.* sed alterius jus sua privata pactione lædere nemo potest. *l. solvendo 39. de negot. gest.* Atq; hinc debitorum pactiones, petitionem creditoris mutare nequeunt *l. debitorum 25. C. de pact.* quamvis illæ inter ipsos debitores valeant. Quod si igitur plurium heredum unus onus dissolvendi æris alieni à defuncto contracti per conventionem in se recipit, nec conventioni paret, cæteri heredes adversus creditores suum persequentes tueri se non poterunt, sed agent cum coherede suo in id quod sua interest, conventionem impletam non fuisse *l. pacta 26. C. eod.*

AD L. LXXV.

Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.

HÆc regula velut exemplum videri potest I. Regulæ præcedentis. Nam si alterius facto nemo

nemo lædi debet, certè nec etiam consilium quidem suum quis mutare poterit in necē sive injuriam, h. e. damnum sive læsionem alterius. Hinc filiusfamil. emancipatus præteritus, qui agnovit legatum, non potest postea mutare consilium, & in detrimentum heredes petere bonorum possessionem *l. si filius 30. ff. de minorib.* Sic actori licet intentionem suam vel per testes & documenta probare, vel reo jusjurandum decisivum deferre. Et si juramentum detulit, idq; à reo acceptum est, ab eo rursus desistere, & ad alias probationes procedere non potest; & è contra. *l. si quis jusjurandum 11. C. de reb. cred.* Ad eundem modum venditor, qui agit lege commissoria, & dicit rem venditam se malle repetere pretio non soluto ad diem dictum; postea invito emtore non potest mutare sententiam, & pretium repetere. Quia si emtione venditione commissa lex est, venditor statuere debet, utrum commissoriam velit exercere, an potius pretium petere. Et si commissoriam elegit, postea variare non potest *l. si fundus 4. §. eleganter ff. de lege commiss.*

2. Hæc & alia similia innuunt, omnia maturo consilio agenda; sed semel constituta, non temerè mutanda esse, nec in jacturam & detrimentum alterius mutari posse. Quod enim semel placuit, amplius displicere non debet *c. quod semel 21. ext. eod.* Et non debet alteri per alterum iniqua conditio offerri *l. non debet 74. eod.*

Sanè si ex consilio alteri obligati non sumus,

nec

nec alteri aut nobis obligatio est quæsita, tunc re integra consilium mutare possumus *l. si mandavero 22. §. fin. ff. mandat.* Quia hæc mutatio non fit in alterius injuriam seu detrimentum. Et JCtus *hic* expressè dicit, in alterius injuriam neminem consilium mutare posse.

AD L. LXXVI.

In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi verâ & certâ scientiâ perfici possunt.

IN totum *h. e. omnimodò, in universum, sive etiam generaliter*, omnia quæ animi destinatione agenda sunt, *h. e. in quibus consensus & voluntas seu animi judicium requiritur*, non nisi verâ & certâ scientiâ perfici possunt, *h. e. quæ animi judicio fiunt, ea non fiunt, nisi à sciente ac verè quidem & certò sciente*, ubi scilicet scientia non est vi aut metu coacta, nec erroribus agitata. Nihil enim consensui & judicio animi tam contrarium est, quàm vis & metus *l. nihil consensui 116. in princ. h. tit.* Et non videntur consentire qui errant *d. l. nihil consensus* Sententia ergò *hujus legis* est, ut quæcunq; jura animi destinatione, hoc est, judicio agi volunt, non aliter perfici possint, & utilitatem habere, quàm si firmo animi judicio peragantur: quod fieri nequit, quàm cum & vera sunt, & certâ animi scientiâ geruntur. 1.

Hinc, quia aditio & repudiatio hereditatis certo animi judicio fieri debet *l. si is ad quem 22. l. cum bonis 87. in pr. eod.* heres institutus nec adi- 2.

re, nec repudiare hereditatem potest, quando de morte testatoris dubitat, etiamsi ille jam defunctus sit l. *is qui heres* 13. § 1. *l. heres* 32. *in pr. de acquir. hered.* Sic quia imperfectum est judicium in pupillo; & pupillus nec nolle, nec velle in ea ætate creditur, nisi apposita tutoris autoritate; exindè pupillus hereditatem, quamvis lucrosam, sine tutore adire non potest §. *neq; tamen Instit. de autorit. tut.* Nam quod animi judicio fit, in eo tutoris autoritas necessaria est *l. pupillus* 189. *ff. de acq. hered.* Sic nec dominium, nec possessionem rei suæ quisquam errans amittit *l. si procurator* 35. *ff. de acq. rer dom.* Quin & neq; pœnam legibus statutam delicta merentur, nisi scienter ad dolo malo commissa sunt *l. pen. ad L. Jul. de adult.*

AD L. LXXVII.

Actus legitimi, qui non recipiunt diem vel conditionem, veluti mancipatio, axceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris: in totũ vitiantur per tẽporis vel conditionis adjectionem, nonnunquã tamen actus suprà scripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehensa vitium adferunt. Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit, quæ si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

1. HÆc lex ex juris antiqui disquisitione interpretationem recipit. Id enim certum est; postquam leges XII. tabb. Romæ publicè pro nostris propositæ essent, quod populus Romanus propter legum brevitatem, prudentium interpre-

terpretationem, & propter agendi imperitiam, formulas quasdam requiſierit, quas legis actiones JC. Pomponius vocat *in l. 2. §. 6. de orig. jur.* quibus non ſolum inter ſe diſceptaret, ſed & quibus actus ſuos legitimè exerceret. Et ita actus legitimi ſunt actus quidam ritusq; ſolennes certis verborum formulis ex lege deſcendentes; aliàs legis actiones appellantur. Actus enim legitimi, & legis actiones, idem ſunt, ut rectè tradit Cujatius *15. Obſ. 16. & ad h. l. noſt.* Quamvis inter legis actiones & legitimos actus diſtinguat Hotomannus *illuſt. quæſt. 32.* ſed malè: quippe quod de eo conſtet, tam actus legitimos, quàm legis actiones, juris eſſe publici, certamq; formulam JCtis acceptam referre, neq; iterare, ſed ſemel tantum, & quidem purè ſine diei aut conditionis adjectione fieri; id quod exempla hic enumerata ſatis evincunt.

Quamvis autem *hæc regula* per negationem 2.
legitur: ita: *Actus legitimi qui non recipiunt &c.* Non tamen inde colligi debet, eſſe aliquos actus legitimos, qui conditionem vel diem recipiunt: Nulli enim actus legitimi conditionem vel diem expreſſè admittunt *Cujat. d. obſ. 16.*

Cæterùm cũ relativi *Qui* hæc ſit natura, ut ſuum antecedens reſtringat, *l. quod ait lex 11. ff. de divort.* rectè regula noſtra non de omnibus actibus legitimis intelligi debet. Non enim hi tantum actus legitimi ſunt, ſed plures. Et ſic etiam adoptio & manumiſſio actus legitimi ſunt *l. 2.*

& 3. de offic. proc. l. 4. 12. ad pr. Et sunt nonnulli alij: quocirca Papinianus *in h. l. nost.* particulâ *Veluti* utitur: ut ostendat, quos enumerat actus legitimos, illos tantùm exempli causâ adferri. Et quidem Papinianus quinq; exemplis seu generibus aut speciebus actuum legitimorum hanc regulam explicat: *Mancipatione, acceptilatione, hereditatis aditione, servi optione, datione tutoris.* Hi actus conditionem non recipiunt; quod scilicet præsens factum contineant, & statim characterem imprimant *arg. l. eum qui solvendo ff. de acq. hered. & l. apud. de opt. leg.* quod factum si suspenditur conditione, jam impossibile erit, ut effectum consequatur, non quidem in præsentiarum, propter conditionem quæ suspendit actum *§. ex conditionali Inst. de verb. oblig.* non etiam tunc cum extiterit conditio; quia tunc id non agitur, nec fit, factumq; præterijt, ex quo ille character imprimi debebat. Secus est in obligatione, quæ de in futurum dando, faciendoq; semper concipitur *l. 3. de oblig. & act.* quemadmodum & heredis institutio, quæ non ideò fit, ut statim heres sit, qui instituitur, sed demum post mortem *l. 1. de testam.* atq; ita tractu temporis ista constant; unde tam obligationes, quã heredis institutio sub conditione fieri possunt *§. omnis autem Inst. de oblig. §. heres Instit. de hered. instit. Joh. Ramus lib. 1. Enchiridij reg. jur. axiom. 56.*

3. Mancipatio igitur expressè conditionem & diem non recipiebat; quia legis actionibus nihil aliud

aliud agebatur, quàm ut legitimum ex jure Quiritum dominium transferretur *Ulp. in fragm. tit. 19.* Et manumissio in diem vel conditionem fieri non poterat, sed dominus, qui servum manumittere volebat, caput ejus aut aliud membrum tenens hæc verba solennia pronunciabat: *Hunc hominem liberum esse volo*; Atq; ita emittebat eum è manu, eaq; emissio diem & conditionem non admittebat, sed fiebat purè *l. manumissio 23. ff. de manum. vind.* Sic acceptilatio sub conditione fieri non potest *l. acceptilatio 4. de acceptil.* Et in diem acceptilatio facta, nullius est momēti *l. in diem. 5. d. tit.* Similiter adire hereditatem sub conditione, vel ad certum tempus nemo potest *l. eum qui ff. de acq. hered.* Ita jus optandi servum, vel alteram rem ex legato, conditionem non admittit *§. optionis legatum Instit. de legat.* Deniq; tutoris datio diem & conditionem non admittit *h. l. n. & l. muto 6. de tutelis.* Datio tutoris, quæ sc. fit à judice nullis tutoribus testamentarijs vel legitimis existentibus. Aliud est in datione tutoris, quæ fit à parentibus in testamento; in quo tutor dari potest ad certum tempus, sub conditione, & ex certo tempore *§. ad certum tempus Inst. Qui testam. tut. da i poss.* Plures actus addit Cujatius *d. obs. 16.*

Verùm enimverò, quæ de diei conditionisve adjectione hactenus dicta, ea *de expressa* diei conditionisve adjectione accipi debent. Et hoc ipsum ostendit Papinianus *h. l.* in *§. nonnunquam*, ubi subjicit: *Nonnunquam tamen actus supra scripti* 4.

 tacitè

tacitè recipiunt, quæ expressè comprehensa vitium adferunt. Tacitè itaq; hi actus legitimi conditionem vel tempus recipiunt: cujus exemplum JCtus *hoc loco* in acceptilatione proponi *l. quod in diem 12. de acceptil.* Et huc pertinet quod Modestinus ait: Expressa nocent, non expressa non nocent *l. expressa 195. h. tit.* Nec obstat vulgata juris regula: Eadem est vis taciti, quæ est expressi *l. cum quid ubi Dd, ff. de reb. cred.* Illa enim regula vera est, nisi tale quid concurrat, ut alterum in expressione ex natura actus tolli sit necesse *Jason in d. l. cum quid.*

AD L. LXXVIII.

Generaliter cùm de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est.

HÆc regula præter alia, etiam ad fructus negligentia malæ fidei possessoris non perceptos refertur. Omnis enim utilitas in actionem deducitur, fraude ac dolo, rem etiam quæ nunquam percepta est, repræsentante: qui sanè maximus est repræsentationis effectus. Atq; ita JC. *Generaliter cum de fraude disputatur*, h. e. cum dolus & fraus alicujus arguitur: *considerandum est non quid habeat actor*, h. e. non tantum quod actor amisit, sive quod ei decessit, aut quod damnum sensit; *sed quod per adversarium habere non potuerit*, h. e. quod percipere potuisset, si rem habuisset, sive quod ei acquiri potuisset. Et ita quicunq; rem alterius mala fide intercepit vel possedit, non solum

solùm rem ipsam cum sua causa, & fructus quos ex ea percepit, sed etiam illos quos ipse actor percipere potuisset, si rem habuisset, restituere & refundere cogitur *l. si navis 62. §. fin. ff. de rei vendic. Cujat. 5. Obs. 21.*

AD L. LXXIX.

Fraudis interpretatio semper in jure civili non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoq; desideratur.

ILlud hoc loco traditur: quando fraus sive dolus committatur. Ad quod respondet JCtus; Ut dolus commissus dicatur, requiri & consilium & eventum. Est enim consilium & voluntas nocendi, perinde forma delictorum *l. qui injuriæ ff. de furt.* ut consensus, contractuum *l. 1. §. pen. de pact.* Eventus verò & perfectio: non secus quam scriptura consummatio emtionis est in scriptis celebratæ *l. contractus C. de fide instrum.* Consilio opponitur ignorantia: Eventui, jus. Hoc est, si quis aliquid facit, quod eventu dolo tum appareat, ignorantia tamen impediet, quo minus id in dolum imputetur *l. nemo videtur 138. §. fin. eod.* Et quidem hæc lex propriè pertinet ad titulum Digest. *Quæ in fraudem creditorum*, ubi traditur: non aliter quid factum in fraudem creditorum dici, nisi duo illa copulativè concurrant, consilium sc. sive animus & propositum fraudandi, & eventus h. e. ut propositum ipsum sequatur effectus, defraudatio nimirum: pro ut eleganter id explicat Justinianus *in § in fraudem Inst. Quib. ex causis manum. non licet.*

AD

Ad L. LXXX.

In toto jure generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.

AIt JCtus, *In toto jure*, h. e. in universum & generaliter, sive in omnibus rebus aut negotijs, quæ in jure tractantur, ut in legibus, statutis, contractibus, ultimis voluntatibus, legatis, mandatis &c. *generi per speciem derogatur*, h. e. si cõcurrunt genus & species, tunc species præcedens vel sequens coarctat & restringit significationem generis sequentis vel præcedentis. Genus cum nominamus, intelligimus id quod latius patet: & per speciem accipimus quod angustius est; & ita uti species sub genere comprehenditur, ita semper quoq; specialia generalibus insunt *l. semper 147. h. tit.* Et hic loquendi mos, quo dicimus, *generi per speciem derogari*, ex eo natus est, quod genus omnia complexu suo continet: species nihil nisi se ipsam. Ratio autem Regulæ potest hæc videri: quod qui de omni genere locutus, postea de una specie aliquid novi constituit, eam eximere velle videtur, cæteris sub eo genere comprehensis *arg. sanctio legum 41. ff. de pœn.* Hinc si testator generaliter legavit peculium servi, & ex vicarijs servis unus liber esse jussus est eodem testamento: hic ex generali legato peculij eximitur servus; species derogavit testamento *l. si peculium 10. ff. de manum. testam.* Similiter mandatum speciale derogat generali *c. 1. Ext. de rescript.* Sic vinum

num non debetur ei, cui penum legatum est, si in eadem dispositione vinum alteri speciatim legatum sit *l. 2. in pr. ff. de trit. vin. & oleo legat.* Et ita in universum, quæ generaliter tractata sunt, ijs derogatur per speciem. Sanè in privilegijs hæc lex locum non habet. Quia secundum privilegium speciale non derogat primo generali *gl. in c. generi de reg jur. in 6.*

AD L. LXXXI.

Quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, jus commune non lædunt.

HAnc regulam totidem verbis habemus *in l. qui mutuam pecuniam 56. in pr. mandati*, cum pereleganti exemplo, quod hujus regulæ sententiam alioquin obscurũ illustret. Quæsitũ est ibi: Si inter contrahentes convenisset, ut, omisso debitore principali, ac pignoribus etiam non distractis, liceret creditori mandatorem convenire, an etiam postquam pignora distracta sunt, creditor ad mandatorem redire, ab eoq; debiti solutionem exigere possit? respondet Papinianus *in d. l. qui mutuam*: conventionem istam creditori non obstare, quò minus distractis pignoribus ad mandatorem redire possit: quod jus commune non lædatur pactionibus supervacuis, quæ dubitationis tollendæ causa contractibus insertæ sunt: licet n. pactio ejusmodi non intervenisset, creditor tamen nihilominus hanc electionem ipso jure habuisset. Ait Papinianus: *Quæ dubitationis tollendæ causa inseruntur*, h.e. quæ ad- 1

jiciuntur removendi dubij causa, tanquam supervacua, *ea jus commune non lædunt* h. e. per ea juris communis dispositio non infringitur.

2. Dicit JC. in contractibus, sed & in testamentis quoq; apponi solent nonnulla, quæ alioqui tacitè intelliguntur, & sunt superflua, nec nocent *l. testamentum 17. C. de testam.* & idem est quod vulgò solet dici: Abundans cautela non nocet. Aut ut Ulpianus ait: Non solent, quæ abundant, vitiare scripturas *l. non. solent 49. inf. eod.* Ac abundans cautela nec in contractibus, nec in testamentis nocet. Namq; necessaria prætermissa imminuunt contractus & testatoris afficiunt voluntati; non abundans cautela *d. l. 17. testamentum 17. C. de testam.* V. G. In cautione convenit, ut singuli fidejussores teneantur in solidum, sicut vulgò solet adjici clausula illa, Die Bürger leben alle für einen/ vnd eine für allen. Hæc clausula superflua est & supervacua: Quia ea non adjecta nihilominus omnes fidejussores in solidum sunt obligati. Si tamen adjecta fuerit dubitationis tollendæ causa, jus commune non lædit: Sed si non convenit in cantione de divisionis beneficio, quod competit fidejussoribus ex epistola D. Hadriani, non erit renunciatum ei beneficio, & clausula illa non attentâ fidejussores hoc beneficio possunt uti: & id Impp. Severus & Antoninus eleganter tradiderunt *in l. 3. in fin. C. de fidejuss.* Sic in contractu emtionis venditionis aliqui solent hæc verba adjicere, *dolus malus à venditione aberit*

aberit, quæ etsi adjecta non sint, tamen dolus abesse debet *l. si cum fundum 68. §. 1. de contrah. emt.*

AD L. LXXXII.

Donari videtur quod nullo jure cogente conceditur.

JCtus inquit: *donari videtur* h. e. id propriè donari est & dicitur: *quod nullo jure cogente conceditur* h. e. nullo jure nec naturali, nec civili, nec prætorio, adeoq; ubi nulla est necessitas concedendi aut dandi. Idem dicitur in *l. donari videtur 26. ff. de donat.* Hinc dona propriè sunt, quæ nulla necessitate juris, officij, sed spontè præstantur *l. munus 214. de verb. signific.* Vnde & donatio dicta est, quasi doni datio *l. senatus 35. §. 1. de donat.* Hinc à contrario sensu infertur: si quid aliquo jure cogente conceditur, id donari non videri, sed potius solvi, *l. hoc jure utimur 19. de donat.* V. G. mulier promisit dotis usuras, quod tardius dotem solveret, sed maritus eas remisit: id fecit nullo jure cogente, sed ut munificentiam & liberalitatem suam in mulierem exerceret. Remissio ergo illa, donatio est, *l. si quis 21. §. 1. & l. si uxor 19. de donat. int. vir. & uxor.* Econtra, si quid datur tanquam antidoton, remunerandi gratiâ, vel ob causam, non est propriè donatio, sed quasi precium & merces officij *l. si ut certo 5. § nunc videndum ff. commod.* Naturaliter enim debetur remuneratio h. e. jure gentium *l. sed etsi 25. §. consuluit. ff. de petit. hered. & l. Aquilius 27. de donat.*

AD L. LXXXIII.

Non videtur rem amittere, quibus propria non fuit.

VErbum *videri* hic non factionem sed veritatem significat. Quod enim dicit Papinianus: *Non videtur rem amittere*, eo ipso significat, non posse quem propriè rem amisisse dici, cujus propria non fuit, h. e. qui ejus dominium nunquam habuit. Hujus definitionis ratio evidens est. Nemo enim potest videri amisisse, quod nunquam habuit: quia privatio præsupponit habitum *l. decem 116. de verb. oblig.* Sic si creditor pignus amittat, casu fortuito, hic non videtur propriè amittere pignus; quia pignus ejus non fuit, sed domini, puta, debitoris. *Harmenop. lib. 3. Epit. tit. 9.* Sic servitus, nisi semel constituta, amitti non potest *l. si partem fundi 19. § ult. ff. Quemadm. serv. amitt.* cum hac regula penè convenit, quod Paulus scribit *in l. non potest 208. h. tit.* Non potest videri desijsse, qui nunquam habuit. Quam ob causam is demum rem pro derelicto habere potest, sic ut occupanti acquiratur, cujus illa propria fuit *l. 2. ff. pro derelicto.*

AD L. LXXXIV.

Cum amplius solutum est quàm debebatur, cujus pars non invenitur quæ repeti possit, totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione.

1. COndictio indebiti tunc locum habet, quãdo per errorem quid solutum est; non ubi quid con-

consultò datum, uti dictum est *ad l. cujus per errorem 53. h. tit.* Nunc hic discutitur illa quæstio: cum quid amplius debito per errorem solvit, utrum integrum quod solutum est, an verò indebitam soluti portionem repetere possit? Respondet Paulus: Si id quod solutum est, dividi non potest, & inveniatur pars indebita quæ repeti possit, tunc totum condici, pristina manente obligatione. V. G. Titius debet Sempronio centum, & solvit fundum CC. aureorum, quasi ducentos deberet; hic amplius quàm debebat solvit; non invenitur, quæ pars fundi sit indebita, cum partes sint confusæ. Hoc ergò casu totus fundus condicetur, manente pristina obligatione centum aureorum incorrupta. Licet enim placuit, rem pro pecunia solutam parere liberationem, tamen si ex falsa causâ debiti quantitate majoris pretij res soluta est, non fit confusio partis rei cum pecunia. Nemo enim invitus compellitur ad communionem, quæ aliàs discordiam parere solet; sed & condictio integræ rei manet, & obligatio incorrupta *l. si non sortem 26. §. si centũ ff. de condict. indeb.* Quod si id quod amplius solutum est, dividi potest, partis debitæ condictio cessat, & indebitæ tantum portionis repetitio competit: veluti si pecuniam debens, oleum dedit pluris pretij, quasi plus debens; vel cum oleum deberet, oleum dederit, quasi majorem modum debens, superfluum ibi repetitur, nõ totum: & perempta hic est obligatio, parte debitâ solutâ *d. l. si non sortem 26. § idem Marcell. de condict. indeb.*

AD

AD § I.

Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus.

1. ET *hic paragraphus* ad tractatum de condictione indebiti pertinet. Ut autem locum habeat condictio indebiti, nullam nec naturalem quidem obligationem constare oportet *l. cujus per errorem 53. eod.* Hæc verò qualis sit, hic eleganter simul & rectè exponitur. Dicit JCtus; *Is qui naturâ debet.* Unde & naturalis obligatio nascitur, quæ condictionem indebiti impedit. Naturam quippe cum vocat, intelligit jus naturale. Aliàs in libris juris nostri appellatur naturalis æquitas *§. thesauros & §. per traditionem Instit. de rer. divis.* itemq; jus gentium *§. singulorum & §. venditæ Inst. d. tit.* Et ideò ubi JC. dixit *in hoc §.* is natura debet, quem jure gentium dare oportet; eo ipso jus naturæ & gentium pro uno & eodem accipiendum dicit. Et hinc naturalis obligatio appellatur; quæ solo æquitatis vinculo sustinetur *l. Stichum 59. §. naturalis de solut.* non etiam juris necessitate, ut civilis obligatio, quæ definitur *in §. 1. Instit. de obligat.*

2. Et hæc naturalis obligatio licet obligationem non producat, ut civilis, tamen inter cæteros effectus condictionem indebiti impedit. Et hoc ipsũ vult docere JC. eum qui natura debet, sive debet jure gentium, si solverit, id repetere non potest. Utiq; licet non debeat jure civili, debet tamen jure naturali: & jus naturæ condictionem inde-

indebiti impedit *tot. tit. de condict. indebiti.* Unde libertus, qui non nisi promissas operas debet *l. operis 31. de oper. libert.* si præter promissas patrono aliàs per errorem præstiterit, condicere operas istas præstitas non potest *l. si non sortem 26. §. libertus. de condict. indeb.* quoniam jure gentium, quo solo manumissionis beneficium iuductum est, *l. 4. de just. & jure*, omne & officium patrono debet *l. generaliter 13. junct. §. l. ult. in jus voc.*

AD L. LXXXV.

In ambiguis pro dotibus respondere melius est.

IDem refertur in *l. ambiguis 70. de jure dot.* Et 1. hoc vult regula nostra; si pactum vel instrumentum dotale ambiguum est, h. e. in hanc & illám partem potest accipi, quod tum interpretatio fieri debeat pro dote, ut sc. dos mulieri salva maneat. Quia videlicet expediat Reip. dotatas esse mulieres *l. 1. ff. ff. solut. matr.* tum ut marito in sustinendis oneribus matrimonij illinc succurratur; tum etiam ut ne soluto matrimonio, & bonis mariti ad agnatos jure civili euntibus, uxor inops & egena sit dedecori *l. aut præterea C. Unde vir & uxor.*

AD § I.

Non est novum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent: licet ille casus exstiterit, à quo initium capere non potuerunt.

HAc regula illud Paulus vult: casum superve- 2. nientem non nocere negotijs prius contractis, si modò ea legitimè & rectè sint facta & con-

constituta, h. e. Sic impleta & perfecta, ut eis, ad jus quod attinet, nihil desit: alioquin verò perinde est atq; si ne inchoata quidem essent. Nam quod perfectum non est, id, quia formam non habet (quæ quandiu perfecta non est, nihil adhuc est *l. cum Syllamanum* C. *de his quib. ut indign.*) non potest etiam dici aliquid esse. Simile est *in c. factum legitimè 73. de reg. jur. in 6.* Factum legitimè non debet retractari, licet postea casus eveniat, à quo non poterat inchoari. Est enim casus superveniens facti *l. patre ff. de his qui sui*, quo jus tolli non potest *l. obligationum de oblig. & act. l. furiosus. de sponsalib.* §. *idem quæ Instit. de inutilib. stipulat.* V. G. Prodigus cui bonis interdictum est, testamentum facere non potest: & furiosus non potest facere testamentum, ubi furore est correptus: furiosus quoq; non potest ducere uxorem, quia nulla ejus est voluntas, nullus consensus, qui nuptias facit. Et tamen si prodigus ante interdictionem bonorum testamentum fecit; vel furiosus ante furorem, solennibus necessarijs adhibitis testamentum fecerit; Item si furiosus ante furorem uxorem duxerit; propter interdictionem quæ subsequitur in prodigo; propter furorem supervenientem in furioso, testamentum ritè factum non reddetur irritum; nec matrimonium dissolvetur §. *furiosi &* §. *item prodigus cum seqq. Instit. Quib. non est permiss. fac. testam.* §. *unde quæsitum Inst. de nupt.*

AD §. 2.

Quoties æquitatem desiderij naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, justis decretis res temperanda est. 3.

IN *hoc §.* docet JCtus: *Quoties desiderij naturalis ratio*, h.e. naturalium causarum conflictus, qualia sunt, honestum, natura, & utile *Cicero lib. 3. offic.* ubi eleganter. *aut dubitatio juris*, h.e. controversia ex contrarijs aut dissimilibus prudentum sententijs emergens §. *cum ex aliena Instit. de rer. divis.* moratur *æquitatem*, h. e. impedimento est, quo minus res decidi possit, tum *justis decretis*, h. e. aliqua perpetui juris parte, qualia sunt lex, plebiscitum, SCtum, constitutio principis, aut deniq; prudentum interpretatio; *res temperanda est*, h.e. finienda & explicanda controversia est. Ideò verò Paulus ista vocat justa decreta, quod ea præcipuè jus agnoscat & probet §. *constat Instit. de jure natur. gent. & civ. Romanus in enchir. li. 1. axiom. 6.* quemadmodum justæ nuptiæ; justa pacta.

AD L. LXXXVI.

Non solet deterior conditio fieri eorũ qui litem contestati sunt, quàm si non; sed plerumq; melior.

AD L. LXXXVII.

Nemo enim in persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit. Deniq; post litem contestatam heredi quoq; prospiceretur, & heres tenetur ex omnibus causis.

PRiori lege exponitur Regula; posteriore, ratio regulæ, addito exemplo, quo demonstratur,

eam etiam ad heredes litem contestantis pertinere. Primum ait JCtus; *deteriorem non fieri causam nostram litis contestatione; sed plerunq; meliorem* h. e. actoris & rei. Paulus JC. ait *plerunq;* : quia interdum alterius conditio redditur deterior per litis contestationem. V.G. *Ex parte actoris*, per litis contestationem conditio redditur melior. Quia actiones alioquin temporales & non transeuntes ad heredes, cæpto judicio h. e. lite contestata fiunt perpetuæ & ad heredes transmittuntur § *pen. Inst. de perp. & temp. act.* Atq; ita de conditione actoris, quæ melior fit per litis contestationem, Paulus ait *in l. nemo 87.* Nemo in persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit. Et post litem contestatum heredi quoq; prospicitur, & heres tenetur ex omnibus causis. Et sic quoq; pœnalia judicia semel accepta in heredes transmitti, dictum est in *l. sicuti pœna 38. eod.* Deinde *Rei conditio melior* fit per litis contestationem; & *deterior conditio actoris*, quod sc. ad mutationem libelli, & electionem actionis attinet. Lite enim contestatâ, actio & libellus mutari nequeunt *l. edita 3. & ibi gl. & Dd. C. de edendo.* Addit Paulus in fine legis: *Ex omnibus causis* h. e. tam ex delictis, quàm ex contractibus. Et ita in actionibus pœnalibus & ex contractibus descendentibus melior fit conditio actoris per litis contestationem, quod ad perpetuitatem actionis, & ut reorum heredes teneantur, attinet. Rei conditio melior fit per litis contestationem in actionibus pœnalibus &

simi-

similibus, quod ad mutationem libelli attinet. *Cujat. ad h. l.*

AD L. LXXXVIII.

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio.

MOra, inquit Ulpianus *l. mora ff. de usuris.* fieri intelligitur non ex re, sed ex persona, hoc est, personali petitione, seu interpellatione. Unde Scævola *h. l. n.* nulla intelligitur ibi mora fieri, ubi nulla petitio est, h. e. ubi nulla actio, nulla interpellatio, quæ in contractibus quidem bonæ fidei etiam extra judicium facta, morosum reddit debitorem *d. l. mora.* in strictis verò judiciis non nisi in judicio facta sit *l. vinum ff. si cert. pet. Ramus lib. 2. enchirid. axiom. 137.*

AD L. LXXXIX.

Quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus non admittitur.

DEfertur hereditas vel ex testamento, vel ab intestato. Verùm ut in contractibus primùm & ante omnia inspicimus quid actum sit *l. semper in stipulationibus h. tit.* ita & in successionibus prima causa est eorum, qui testamento sunt instituti. Unde Paulus *h. l.* ait: Quamdiu possit valere testamentum (valere testamentum dicitur, quamdiu ex eo hereditas adiri potest, quod fit, si non est injustum, ruptum, irritum, inofficiosum nec destitutum) tam diu non admittitur legitimus sc. heres. Et idem est quod Ulpianus di-

cit; quamdiu potest ex testamento adiri hereditas, ab intestato non defertur *l. quandiu 39 de acquir. hered.* Hæc itaq; est sententia legis nostræ: Is cui ab intestato lex hereditatem defert, tamdiu non debet admitti, quandiu ex testamento quis heres esse possit, aut fore speretur. Idem etiam obtinet in tutelis: Quamdiu enim tutela testamentaria speratur, tam diu cessat legitima *l. si quis sub conditione 11. in pr. de testam. tut.* Voluntas enim testatoris pro lege habetur *Auth. de nupt. §. disponit*, præsertim si disputationi juris sit conformis, & formam à lege præscriptam habet *l. 4. Qui testam. fac. poss.*

AD L. XC.

In omnibus quidem, maximè tamen in jure æquitas spectanda est.

PEr æquitatem hic intelligimus æquum & bonum, sive naturalem rationem: *Et naturalis æquitas in omnibus, maxime tamen in jure spectanda est*, h. e. spectanda est in omnibus actionibus nostris, præcipuè tamen in his quæ tractantur & deciduntur in jure, ut in pactis, contractibus, ultimis voluntatibus, judiciis, & generaliter, in quibuscunq; juris dispositionibus: & spectanda est in hisce rebus omnibus, h. e. in hisce rebus, rigori juris ac stricto juri seu callidæ & superstitiosæ ac calumniosæ interpretationi æquitas est præferenda. Idem est quod Impp. dicunt: Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justiciæ æquitatisq; quam stricti juris rationem *l. placuit*

C.

8. C. *de judic*. Exemplum est *in l. bona fides* 31. §. 1. *deposit*. Latro spolia quæ mihi abstulit, deposuit apud Sejum, inscium de malitiâ deponentis: quæritur, utrum res deposita reddenda sit latroni, an verò domino? Et prima fronte, secundum juris stricti rigorem, res videtur reddenda ei qui deposuit: atq. ita si per se dantem accipientemq; intueamur, hæc est bona fides, ut rem recipiat is qui dedit. Si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus personis, quæ negotio continguntur, impletur, mihi reddenda sunt: & probo hanc esse justiciam, quæ suum ita cuiq; tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore petitione *d. l. bona fides*.

AD L. XCI.

Quoties duplici jure defertur alicui successio, repudiato novo jure, quod ante defertur, supererit vetus.

NOvum *jus* vocat Paulus (quod ante defertur) ut est successio testamentaria, cujus semper prima causa est *l. quandiu h. tit.* semperq; novam habet ex quolibet testamento à voluntate testatoris originem. At verò *jus vetus* appellat JCtus, quod antiquam & vetustam habet ex legibus XII. tabb. originem, semper & perpetuò durabilem, ut est successio ab intestato. Unde qui successioni ex testamento renunciat, videtur tacitè viam sibi facere velle ad alterum genus successionis ab intestato; non verò contra: Nam qui successioni ab intestato renunciat, ab utraq; di-

ſcedit *l. in plurium ff. de acquir. hered.* Barth. *ad l. nec ii §. heres h. tit.* Sententia igitur hujus legis eſt: ſi quis ſucceſſioni ex teſtamento renunciat, videtur ſibi tacitè viam facere velle ad alterum genus ſucceſſionis ſc. ab inteſtato; Et huc pertinet *l. nec 15. 17. § heres ff. de acquir. hered.* ubi expreſſè Paulus docet: Si heres inſtitutus, idemq; legitimus, ex capite quo inſtitutus eſt, repudiaverit hereditatem, quod ut legitimus eam non amittat.

AD L. XCII.

Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet, nihil nocere, quò minus & Reus & fidejuſſor tenerentur.

LIbrarius dictus eſt à libris, quod libros contractus, pactiones, aliosve actus conſcribit: quem tabellionem nominat Juſtinianus *in l. contractus 17. C. de fide inſtrum.* Hodie tabelliones & tabularios vulgò appellamus Notarios. Et hic librarius ſi in deſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet, hic error contrahentibus non nocebit *h. l. n.* Tranſcribere eſt ex authentico deſcribere, & idem eſt, quod tranſumere: unde tranſumtúm vocatur, quod à perſona publica deſcriptum eſt. Et hinc regula hæc noſtra, non de authentico, ſed contractus exemplo accipienda videtur: Et tamen de ipſo authentico non incommodè accipitur. Si itaq; Notarius in inſtrumento mutui erravit, illo errore non obſtante, Reus h. e. principalis debitor & fidejuſſores, qui pro eo fidem ſuam interpoſuerũt, nihilominus tenebũtur *h. l. n.*

Quod

Quod de stipulatione dicitur, idem interpretes generaliter tradunt etiam obtinere in instrumentis quorumcunq; contractuum, itemq; testamentorum, ut error Notarij in illis commissus veritati non præjudicet, nec partibus noceat, dummodò contrahentium aut testatorum voluntas contraria non probetur *l. ambiguitates 24. C. de testam. l. 1. C. de contrah. & comm. stipulat.* quia veritas rerum erroribus non vitiatur, ut refert Ulpianus *in l. illicitas 6. §. 1. de offic. præs.* Et ob id Impp. Diocletianus & Maximianus veritatem, rei vires majores, quàm scripturam obtinere ajunt in *l. nec ignorans 10. de donat.* Cæterum circa errorem in testamentis commissum animadvertendum est, *utrum erratum sit in substantia testamenti*, puta, ubi voluntas testatoris errore Notarij omissa, aut non satis expressa est; quo casu ad probandum hunc errorem, septem testes, qui testandi actus interfuerunt, requiruntur; *an verò erratum in solennitatibus* sive requisitis testamenti, utpote in numero aut qualitate testium, forma subscriptionis, aut appositione sigillorum, fortè si septem testes fuerunt adhibiti, & librarius tantùm sex notavit, tum enim iste per duos tantùm testes poterit probari *Myns. 4. Obs. 98.*

AD L. XCIII.

Filiusfamilias neq; retinere, neq; recuperare, neq; adipisci possessionem rei peculiris videtur.

Filiusfamilias licet peculij sibi concessi habeat administrationem; revera tamen nec domi-

nus esse peculij, nec illud possidere dici potest, utpote possessor ipse ab alio *arg. l. qui in servitute h. tit.* adeò ut siquidem de rei peculiaris possessione per interdictum retinendâ, recuperandâ, aut adipiscendâ agatur, debeat pater agere, non filius. Unde illud Mœciani *in h. l.* Filiusfamilias neq; retinere, neq; recuperare, neq; adipisci possessionem rei peculiaris videtur, h. e. Filiofamilias non competit interdictum adipiscendæ, nec recuperandæ, nec retinendæ possessionis; vel non potest de peculij possessione per interdictum adipiscendæ, retinendæ, recuperandæ experiri. Generaliter enim constitutum est, filium nihil omninò neq; corporale, neq; incorporale sibi acquirere, aut retinere, aut recuperare posse, quandiu in parentis potestate est. Cum omnia filij statim sint patris, nec ullo momento apud filium manere queant, sed ipso jure statim patris fiant: cum ipse unà cum omnibus suis bonis in parentis jure sit. *l. quidquid 4. de acquir. vel amitt. poss. l. placet 79. de acq. vel omitt. hered.* Et quidem olim filiusfam. patri acquirebat, omnia & castrensia vel quasi. Sed hodie ex Imp. constitutione hoc privilegium militiæ datum est, ut in castrensi peculio, vel quasi, filiusfamilias vicem patrisfamilias obtineat *l. ult. ad SC. Tertull. l. 2. C. ad SC. Maced.* Atq; ita hodie hæc lex non de castrensi vel quasi castrensi, sed tantùm de paganico peculio, veluti profectitio & adventitio accipienda est.

AD L. XCIV.

Non solent, quæ abundant, viciare scripturas.

SEntentia *hujus regulæ* est: si quid amplius in instrumento adjectum est, quod necessariò in eo desideratur, propterea instrumentum non vitiari, nec juris communis dispositione infringi *l. quæ dubitationis gratiâ 8. sup. eod.* Abundans enim cautela non nocet. Deinde hic ostenditur & docetur: si quid adjectum fuerit instrumentis, velut inutile, ob id utile non viciari, nec substantiam rerum propter inutile adjectum mutari. Non enim mutat substantiam rerum non necessaria verborum multiplicatio *l. pediculis 32. §. Labeo ff. de auro & arg. leg.* Unde Florentinus, stipulationem ob verba supervacua vitiari negat, dummodò cum utilius & ad præsentem actum pertinentibus admixta sunt; quo casu quæ utiliter gesta sunt, firma manent, quæ contra, pro supervacuis habentur, ne utile per inutile vitietur *l. 1. §. pen. de verb. oblig.* Hujus insigne exemplum est *in l. fideicommissa 11. §. si cui ff. de legat. 3.* ubi fideicommissum filiofamilias sub hac conditione relictũ, si morte patris sui juris factus fuerit, filio præstandum est patre defuncto, etiamsi ante patris mortem emancipatione sui juris ille factus fuisset: cum hoc casu conditio fideicommisso inserta, utpote superflua, ad scriptum fideicommissum non vitiet. Similiter si quis fundum ita ut instructus est, legaverit, & adjecerit, cum suppellectile vel mancipijs, vel alia aliqua re: Pa-

pinianus respondit, non videri minus legatum, sed potius ex abundanti esse adjectum *l. quæsitum 12. §. si quis 46. de instr. & instrum. leg.*

Ad L. XCV.

Nemo dubitat solvendo videri eum, qui defenditur.

IN *h. l.* Ulpianus docet debitorem principalem, si is convenitur pro debito, etiamsi non habeat unde solvat; Si tamen ab alio defenditur, videri esse solvendo, h. e. perinde haberi, ac si ipse solidum posset solvere. Ratio ejus est: quia creditor, quod à debitore principali consequi non potest, id ab ipso defensione consequitur, vigore præstitæ cautionis sive satisdationis judicatum solvi. Defensor namq; eandem vicem, quam reus, subit, *l. minor 51. § 1. de procurat.* seu, ut idem Ulpianus ait, id facit, quod dominus in litem faceret; & cavere idoneè. *l. sed & hæ 35. § defendere d. tit.* Adeoq; à defensore satisdatio fidejussoria exigitur: quia nemo alienæ litis idoneus est fidejussor sine satisdatione *l. qui proprio 46. §. alium 2. d. tit.* Qui itaq; vel per se, vel per alium potest solidum solvere, verum est, quod sit solvendo *l. solvendo ubi Accurs. de verb. sign.*

Ad L. XCVI.

In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda est ejus, qui eas protulisset.

1. AMbigua oratio est, quæ duobus aut tribus modis potest intelligi. In ejusmodi ambigua

ora-

oratione, maximè spectanda est sententia ejus, qui eam protulit h. e. si verba ambigua sunt, non est pro cujusvis arbitrio sententia illis affingenda, sed recurrendum est ad intentionem sive mentem proferentis; seu interpretatio fieri debet pro proferente. Et tunc pertinet, quod vulgò dici solet; Quilibet est interpres suorum verborum. Exempli loco sit illud Celsi responsum, concernens interpretationem beneficij vel privilegij *in l. Neratius 152. eod.* Neratius consultus, an quod beneficium dare se quasi viventi Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur. Respondit: Non videri sibi principem, quod ei quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse: quem tamen modum beneficij sui esse vellet, ipsius æstimationem esse *d. l. Neratius.* Sic in legibus sententia potius spectanda est, quàm verba: Scire enim leges, non est verba eorum tenere, sed mentem & voluntatem *l. scire 17. de legib.* Ita sententia definitiva à judice prolata, licet revocari nequeat, attamen declarari & interpretari potest: quia judex declarando nihil novi pronunciat *l. ab executione ff. de appellat. Gail. 1. obs. 116. n. 3. & 8.*

Habet ergò hæc regula locum in testamentis, in legibus ac statutis, sententijs ac beneficijs sive privilegijs principum. In contractibus verò non obtinet. Nam in contractibus verba ambigua & obscura etiam contra proferentem, præsertim ubi de mente ipsius non constat, interpretantur; 2.

tantur;

tantur. Et ita veteribus placuit, pactionem obscuram vel ambiguam venditori, & ei qui locavit, nocere, in quorum fuit potestate, legem apertius dicere *l. veteribus 39 de pact. l. Labeo de contrah. emt. l. cum in lege 33. d. tit.* Sic in stipulationibus verba obscura vel ambigua contra stipulantem & secundum promittentem interpretantur. Quia stipulanti liberũ fuit verba latè concipere *l. quicquid astringendæ 99. de verb. oblig.*

AD L. XCVII.

Ea sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum pertinent.

1. Civilium pœnarum aliæ sunt *privatæ* in simplum duplum,&c. aliæ *publicæ* sunt, ut pæna capitis, deportatio, quæ in locum interdictionis aquæ & ignis successit *l. inter pœnas ff. de interdict.* quæ nihil aliud est, quàm perpetuum quoddam exilium, assignata provincia ubi sit manendum, bonis in fiscum reductis, deducto tamen prius ære alieno *l. non possunt ff. de jure fisci.* Nam quia tantum intelliguntur bona cujusq;, quæ deducto ære alieno supersunt *l. sub signatum 39. §. bona de verb. sign.* & fiscus nihil præjudicij creditoribus adferre possit, ideo quoq; non possunt ulla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superfutura sunt *d. l. non possunt, & tot. tit. C. pœnis fiscalib. creditores præferri.* Et ita Hermogenianus *in h. l.* docet, per sententiam deportationis ea tantum bona auferri, hoc est, fisco applicari, vel ad fiscum venire, quæ solutione creditoribus facta

cta, supersunt. Et hæc quidem de jure civili ita se habent.

Cæterum hodie jure novissimo bona damnatorum seu proscriptorum, non fiunt lucro judicibus, aut eorum ministris, neq; secundum veteres leges fisco applicantur, sed descendentibus, vel his non extantibus, ascendentibus, vel ex latere ad tertium gradum conjunctis deferuntur *Nov. 134. & Auth. bona defunctorum C de bonis proscript.* Excepto crimine læsæ majestatis *d Auth. bona in fin.* per quod summum majestatis crimen, quod crimen perduellionis dicitur, intelligimus; cum scilicet quis hostili animo adversus principem vel Rempublicam Romanam animatus est *l. ult. ad L. Jul. majest. Constit. Carol. cum artic. 218. Clar. §. fin. quæst 78. num 1.* 2

AD L. XCVIII.

Quotiescunq; utriusq; causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit.

SEntentia *hujus legis* est; Quod in pari causa lucri ille præferri debeat, cujus in lucro causa tempore præcedit, h. e. qui prior rem ex causa lucrativa traditam accepit; non attento eo, utrum ille rem possideat, an non: siquidem fieri potest, ut qui prius rem accepit, nunc, cum de illa inter duos contenditur, illam non possideat. Habet enim hic locum vulgata regula. Qui prior est tempore, potior est jure *c. qui prior. de reg. jur. in 6.* Inter alias namq; commoditates, quas tempus 1.

pus adfert, hæc non minima eſt, quod jus cujuſdam privilegij continet, ut minorum in pari cauſa lucri, qui prior eſt tempore, potior ſit jure *d.c. qui prior.* Atq; ita in privilegijs & conceſſionibus Principum per modum gratiæ factis, prima principis conceſſio poſteriori prævalet *l. prædia C. de locat. præd. lib. 11.* Sic ſi princeps rem aliquam uni prius, poſtea ex intervallo eandem alteri; utriq; ob benè merita dona dedit; ſed poſterior donatarius prius in poſſeſſionem rei donatæ venit, nihilominus cui prius res donata eſt, poſteriori præferetur: quia prima Principis donatio poſteriori prævalet *d. l. prædia.* Sic in beneficijs Eccleſiaſticis prima conceſſio ritè facta præfertur ſecundæ, etſi ſecundò traditio facta fuerit *c. quæ tibi & c. duobus de reſcript. in 6. c. ſi tibi de præben. eod.* Videmus ergò tunc demum Regulæ huic locum eſſe, cum uterq; cauſam lucri habet: ſed alter priorem, alter poſteriorem.

2. Et hoc ita obtinet, quando quis rem prius acceperit ab eodem domino. Nam ſi duo eandem rem ſimul à non domino acceperunt, is tuendus erit, qui prior qui ejus apprehendit: id quod etjam ſervatur in duobus emtoribus *l. 9. §. 3. ſi duobus ff. de public. in rem act. l. ſi ea res 31. §. fin. ff. de act. emt.* Sic ſi res donata eſt à diverſis, ut mihi ab uno, tibi ab alio donata, poſſeſſor eſt melior: Nam in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis *l. in pari 128. in pr. h. tit.* Et hoc eſt etiam quod Ulpianus dixit: cum de lucro duorum quæritur, melior

melior est causa possidentis *l. nemo prædo 126. § fin. h. tit.* Sic quoties in solutum prædium duobus à domino distrahitur, manifesti juris est, eum, cui traditum est, in detinendo dominio esse potiorem *l. quoties 15. C. de rei vendic.* Ita ex duobus emtoribus, primus qui rem emtam signavit, præfertur secundo, cui res tradita est: quia signatura est loco traditionis, & per eam dominium in signantem transfertur *l. quod si neq; 14. §. fin. de peric. & comm. rei vend.* Sanè Ecclesia vel civitas, quæ prior emit, præfertur, quamvis alteri res postea vendita & tradita fuerit: In Ecclesiam & civitatem enim dominium absq; traditione transit *l. ult. C. de SS. Eccl. Gail. 2. Obs. 55. per tot.*

AD L. XCIX.

Non potest improbus videri is, qui ignorat quantum solvere debeat.

IMprobus in libris juris dicitur, qui bonam fidem non agnoscit, veluti, qui bis idem petit *l. si quis dolo ff. de re judic.* Hinc Venulejus tradit, improbum non videri, qui ignorat quantum solvere debeat. Et his verbis significat, quod qui hujusmodi vel similem justam prætexere potest, is à morâ excusetur, ac proinde nec ad usuras, nec si res petita interea fortuitò perierit, ad fortuiti istius casus præstationem teneatur *l. cum filiusfamilias 49. §. ult. de verb. oblig.* Exemplum peti potest ex *l. residuum. de distr. pign.* Quidam postulat residuum debiti: debitor ignorat quid sit in residuo, petit arbitrum, qui excutiat rationes, & in-

& interim adversarius ad distractionem pignorum prosilit: quæritur, an videatur moram facere, an rectè distractum sit pignus? minimè. Non potest enim esse in mora, qui petit arbitrum rationibus excutiendis. Id enim inprimis requirit JCtus, ad moram committendam, ut debitor ex justa causa intelligat se dare oportere *l. quod te, si cert. pet.* & quantum sit illud. Qui ergò credens se non debere, litigare maluit quàm solvere, non est in mora *l. nemo rem suam. de verb. oblig.*

AD L. C.

Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt.

ILla demum idonea & tempestiva comparatio est, si vel jus cum jure compares, & factum cum facto. Inter similia enim apta est proportio; non verò inter disparata, & toto genere diversa. Et hinc est, quod & factum, facto tolli possit; & jus jure: Hinc Cajus *h.l.n.* Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt. Eadem enim in unaquaq; re sunt destructionis principia, quæ sunt & constructionis, ut ait Aristoteles *in Topicis.* In eandem sententiam ita Ulpianus. Nihil tam naturale est, quàm unumquodq; eo genere dissolvi, quo colligatum est *l. nihil. 36. sup. eod.* subjicit exemplum *ibidem §. 1.* Ideoq; verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio, contrario consensu dissolvitur.

AD

AD L. CI.

Ubi lex duorum mensium facit mentionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est. Ita enim & Imperator cum Divo fratre suo rescripsit.

DIes mensium singulorum, quibus hodie potissimum utimur, non sunt pares sive æquales numerò; sed alij triginta & unum dies habent, alij dies triginta; alius, puta Februarius, XXXIII. diebus constat. Si itaq; in jure fiat mensis mentio, quæsitum est, utrum diebus viginti octo, an de triginta, an verò de triginta & uno accipi ille debeat? Quamvis autem regulariter triginta diebus circumscriptus sit, *l. pater 20. ff. ad L. Jul. de adult.* & quibus duorum mensium spatium præfinitur, is sexagesimo die venire facereve debeat, ut & dies sexagesimus, in diebus sexaginta sit *d. l. pater.* Tamen aliter, & quidem benignè ex rescripto DD. Principum L. septimi Severi, & Antonini Caracallæ nimirum patris & filij responsum esse JC. *his* tradit, ut qui sexagesimo primo die quid fecerit, intra duos menses fecisse dicatur. Rescripta igitur multum à Regulis juris recedunt *l. auxilium 37. §1. ff. de minorib.* ut rectè ex epigraphe Rævardus subjiciat, cognitionis hanc decisionem esse, quæ nempè supra ordinarij juris dispositionem indulgetur principali rescripto *l. 2. ff. & C. de in jus voc. l. 1. de constit. Princ. Sturtz. ad h. l.* Sanè in causis appellationum in libris nostris tres menses accipiuntur, non pro nonaginta,

ſed pro X C I I I. diebus *l. ult. C. de temporib. appellat.* Et ita tempus proſequendæ appellationis eſt trium menſium, qui X C I I I. diebus conſtant. Secundum ordinationem Cameræ tempus proſequendæ appellationis eſt ſex menſium; ſed pro ſingulis menſibus triginta tantum dies numerantur.

AD L. CII.

Qui vetante prætore fecit, hic adverſus edictum feciſſe propriè dicitur.

1. HIs verbis Ulpianus ſignificat, eum, qui prohibente Prætore quid fecit, ſeu deliquit, perindè haberi, ac ſi contra ejus edictum publicum feciſſet: atq; ita non ſolum puniendum qui in edictum peccavit, verum etiam qui vetante prætore quid fecit. Ut qui contra prætoris prohibitionem parentem, patronumve ſine veniâ in jus vocavit: hic enim æquè quinquaginta aureis mulctatur, ac ſi edictum Prætoris in albo publicè propoſitum dolo malo corrupiſſet *per l. ſi libertus 12. de in jus voc. l. ſi quis id 7. in pr. de juriſdict.*

AD § I.

Ejus eſt actionem denegare, qui poſſit & dare.

2. HIs verbis docet Ulpianus: Ut prætor omnem dat actionem, ita & eandem denegare poſſe, *h. l. n.* Etſi enim habeat quis alium ex legitimo contractu obligatum, & ſic actio ei competat *§. non autem Inſtit. de perp. & temp. act.* adhuc tamen

men actionem olim non dicebatur habere, h. e. agere posse, nisi eam à Prætore impetrasset, qui dabat judicem & actionem *arg. l. 1. ff. commod.* Huc pertinere potest, quod in edictis Prætorum frequentissimè scriptum invenimus; *Actionem dabo: Actionem non dabo: judicium dabo; judicium non dabo.* Qui itaq; jus dandi actionem habet, is demum denegare actionem potest: cum jus utrumque dandi & denegandi actionem ex eodem jurisdictionis capite proficiscatur: atque iccircò etiam ei cui unum negatur, alterum concedi nequeat *arg. l. nemo qui condemnare 37. eod.* Hodie ex constitutionibus non est necessarium actionem impetrare, sed satis est, si aut ipso jure competat, aut edicto perpetuo deferatur: quæ si sine causa denegetur, poterit appellari. Constituto ergò jure satis est, congruam ac rei competentem actionem proponere, etiamsi impetrata non sit *l. ult. C. de form. & impetrat. act. subl.*

AD L. CIII.

Nemo de domo sua extrahi debet.

OLim poterat quilibet adversarium suum in via obviam sibi factum, si interpellatus sequi nollet, ad Prætorem, invitum rapere, ducere, trahere, & quidem ex quocunq; loco, à vinea quoq; & balneo & theatro *l. sed etiam 20. de in jus voc.* Excipiebatur sola domus adversarij, è qua invitus nemo poterat extrahi, veluti Paulus præsente hac regula satis innuit. Cujus rationem Cajus hanc refert: quod domus sua cuiq; tutissimum

O 2 refu-

refugium atq; receptaculum sit: Postea verò inventæ sunt citationes, h. e. legitimæ evocationes, quæ per apparitores fiunt, quibus in jus venire jubetur quisq; seu foris, seu domi sit; propterea quod utilius videretur, ut sic legitimè per judicem evocarentur, quam ab ipsis actoribus tædio diuturnæ latitationis fatigatis per vim eriperentur; quod ut ne fieret, intereat Reipublicæ. Et hoc est quod ait Ulpianus: Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè fieri possit, ne occasio sit majoris tumultus faciendi *l. non est 137. inf. eod.* Sanè in criminalibus & fiscalibus causis, quin etiam invitum de domo extrahi posse, nullum est dubium. *Nov. 134. cap. 5. Myns. 4. Obs. 69.* At in civilibus adhuc hodie quoq; etiam ad magistratus jussum, neminem de domo sua extrahi aut realiter capi debere, sed legitimis modis evocandum esse, tradunt Interpretes nostri *ad h. l.* Quod tamen non obtinet in debitore de fuga suspecto, sed is de domo extrahi potest, etiam die festo vel solenni *gl. in l. fin. C. de feriis.* Cæterum domus *hic* intelligi debet non propria solùm, sed aliena quoq;, ea tamen quam quis conductionis lege habet, vel etiam gratis incolit, sicut interpretatur Ulpianus *in l. lex Cornelia 5. §. domum. de injur.*

AD

AD L. CIV.

Si in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est: præponenda est causa existimationis.

Ubi autem æquiparantur famosa judicia, etsi summam imparem habent: pro paribus tamen accipienda sunt.

IN *hac lege* duo sunt capita: *Primum* pertinet ad duas actiones, in quarum alterâ summa major est, in alterâ existimatio versatur sive infamia. *Alterum* verò ad duas actiones famosas, in quarum tamen altera major summa versetur. In primo capite, dicitur causam existimationis præponendam esse, h. e. si ex una & eadem causa duplex datur actio, una merè civilis, quæ summam quandam pecuniæ irrogat reo, etiam majorem, alia verò quoq; actio datur famosa, quæ tantam summam pecuniæ non continet, vel etiam nullam continet, hic actio famosa præfertur alteri, licet majorem summam contineat. Fama enim præstat omnibus divitiis, ac omni commodo pecuniario præferenda est *l. Julianus 26. si quis omiss. caus. testam. l. in servorum 10. in fin. de pœnis.* Causa itaq; criminalis, utpote major, proponetur civili, tanquam minori, etiamsi summam majorem hæc contineat. V. G. Is cui furtum factum est, & furti actione, & condictione furtiva adversus furem experiri potest *l. si pro fure 7. §. 1. de condict. furt.* sed si utrâq; simul experiri velit, hac exceptione repelli poterit, quod actum furti, utpote majori, præjudicium fieri 1.

non debeat, per condictionem furtivam; quippe quæ minor est, cum ad ipsius rei surreptæ persecutionem duntaxat tendat, nec infamam irroget *per l. cessat 36. de verb. oblig.* Itaq; priusquam de condictione furtiva disceptetur, actio furti pœnalis intentanda & decidenda erit.

7. In altero capite dicitur: *Ubi æquiparantur famosa judicia*, h. e. si ex duobus judicijs utrumq; famosum est: *Etsi summam imparem rem habent*, h. e. in uno famoso judicio plus petitur, quàm in altero, *pro paribus accipienda sunt*, h. e. hæc judicia famosa sunt paria, & unum non dicitur majus, alterum minus, nec unum alteri præfertur, licet summæ sint impares. Utrumq; enim famosum est, seu in utroq; judicio fama & existimatio rei vertitur, & id quod caput est, spectatur, infamia scilicet, non etiam summa quæ petitur. V. G. Actio furti nec manifesti, & actio vi bonorum raptorum, utraq; famosa est *l. non poterit 36. de furt. &* §. *pen. Instit. de pœna temerè litigant.* ac quamvis illa in duplum detur *§. in duplum Instit. de act.* hæc verò intra annum in quadruplum intentari possit *l. 2. §. in hac actione. de vi bon. rapt.* & sic utraq; summam disparem habeat: pares tamen hæ actiones sunt: atq; ideò si furti nec manifesti prius cum raptore actum sit, actio vi bonorum raptorum adversus eundem institui potest, ad consequendum id, quod in hac actione est amplius, veluti hoc eruditè demonstrat Cujatius *8. Obs. 24.* videatur Julius Clarus

§. fin.

§. *fin. quæst.* 2. Utrum actio civilis & criminalis possunt ab eodem & contra eundem æquè principaliter vel etiam incidenter intentari.

AD L. CV.

Ubicunq; causæ cognitio est, ibi prætor desideratur.

AIt Paulus: *Ubicunq; causæ cognitio est*, h. e. cum de negotio præsente utraq; parte & audita cognoscitur, & exactione & examinatione opus: *ibi prætor desideratur*, h. e. id fit coram tribunali, non de plano, non per supplicem libellum. Ea enim in libris opponuntur, ut dictum est *ad l. quæcunq; 71. sup. eod.* Cæterùm hodiè generaliter hanc legem possumus interpretari, ut dicamus semper judicem desiderari, ubi inter actorem & reum causa vel lis judicialiter cognoscenda & decidenda est: Adeoq; hodiè etiam judices pedanei, dati ab his, qui propriam jurisdictionem habent, expedire possunt ea omnia, quæ olim Prætor Romanus expedivit: id quod exemplo restitutionis in integrum confirmat Imp. Justinianus *in l. ult. C. ubi & apud quem cognit. in integ. rest. l. 1. §. 1. ff. de minorib.*

AD L. CVI.

Libertas inæstimabilis res est.

LIbertas *sc. personarum sive hominum* inæstimabilis res est, *h. e. nullo pretio nummario æstimari seu nullâ pecuniâ lui potest.* Et hinc est, quod liber homo non sit in commercio *l. liber homo de acqu.*

rer. dom. nulla enim pretij cum libertate est proportio; adeò ut rectè dixerit ille; locupletior non est, qui liberum acquisiverit *l. 169. eod.* Nec ad rem pertinet, quod liber homo potest pati sese certo pretio venundari, ejus participandi gratiâ *§. fin. Instit. de jure pers.* Quia in ea specie æstimatur ut servus, non ut liber homo. Dictum hanc legem esse accipiendam de libertate personarum; quia secus est in libertate rerum, Nam libertas ædium & aliorum prædiorum rusticorum & urbanorum æstimabilis est; cum & servitus æstimationem recipiat *l. cum filius 76. in fin. de legat. 2.* Et liberæ ædes sunt, quæ servitutem non debent *l. si quis ædes in pr. ff. de servit. urb. præd.*

AD L. CVII.

Cum servi nulla est actio.

HIs verbis ostendit Cajus, servos nulla actione conveniri. Ratio est: quia in personam servilem nulla cadit obligatio *l. in personam 22. sup. eod.* Nulla obligatio sc. civilis, ex qua actio descendat. Ubi enim nulla est obligatio civilis, ibi quoq; nulla est actio *l. licet §. 1. de procurat.* Deinde actiones jure civili proditæ sunt *l. 2. §. deinde ff. de orig. jur.* At quod ad jus civile attinet, servi habentur pro nullis *l. quod attinet 32. eod.* Hinc Ulpianus dicit, servitutem mortalitati ferè comparari *l. servitutem 209. eod.* Dixit *ferè*, propter jus naturale, quo jure servus æqualis est cæteris omnibus hominibus *l. quod attinet h. tit.* Ideò etiam servi ex contractu naturaliter obligantur, & te-

& tenentur de peculio, prætorio jure *l. servi 14. de oblig. & act.* obligantur quoq; servi ex delictis extraneo & naturaliter & civititer *d. l. servi 14.* Domino verò tantum naturaliter, & ob id in peculio deductio fit *l. 9. §. sive autem ff. de pecul.* Ac ubi pro delicto servus extraneo obligatur, non agitur cum eo, sed cum domino; ideoq; regulariter cum servo nulla est actio *h. l. n.* Quin & quod naturâ debere servum, jam dictum & vice versa eis deberi, ad factum, non ad jus civile referendum *l. nec servus 41. de pecul.* Et hoc modo accipiendum est, quod dicitur *in §. 3. Instit. de fidejuss.* cum domino planè ex servi facto interdum est actio *l. ult. C. de noxal. act.*

AD L. CVIII.

Ferè in omnibus pœnalibus judicijs, & ætati & imprudentiæ succurritur.

BEnignæ interpretationis ratio, quam in pœnis imponendis sequendam monet JC. *in l. pen. de pœnis.* illa *hac lege* justa & æqua traditur; tum ut ætati, tum imprudentiæ succurratur. Ætati succurritur, quando propter ætatem pœna delicto statuta remittitur, vel saltem mitigatur. Sic etiam imprudentiæ succurritur hoc ipso, quod delictum per imprudentiam sive inconsideratè commissum, mitius punitur. Dicit autem JC. hoc ita fieri *Ferè.* quo ipso significat, interdum hoc fieri, ut succurratur ætati & imprudentiæ interdum in pœnis, interdum verò etiam non succurri. Et hæc particula *ferè* propria regularum nota est. 1

Ac regulæ plerunq; locum obtinent, non verò perpetuò valent, *l. cum principalis 139. & l. plerunq; 205. h. tit.* Ait itaq; JCtus, *ferè*, h.e. interdum, plerumq; verò etiam non: *In pœnalibus judiciis*, h. e. in judicijs quibus pœnam persequimur, sive in ipsis pœnis imponendis: *ætati & imprudentiæ succurritur*, h. e. propter ætatem & propter imprudentiam delinquenti parcitur.

2. Infanti itaq; & infantiæ proximo, uti & furioso delinquenti in totum parcitur, quia infans & infantiæ proximus, uti quoq; furiosus omni intellectu carent, & ignorant quod agant *§. pupillus cum §. præced. Instit. de inutil. stipul.* Quod si itaq; infans vel infantiæ proximus, vel furiosus, hominem occiderint, lege Cornelia non tenentur *l. infans 12. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Infans, etsi conscius domi suæ falsam monetam & adulterinam esse cusam, nullum sustinet detrimentum *l. 1. §. impubes C. de fals. mon.* Infans & infantiæ proximus, si dederint alicui damnum, ut & furiosus, actione legis Aquiliæ non tenebuntur *l. sed etsi §. & ideo ff. ad L. Aquil. Gometz. 3. var. resol. 1. num. 57. Clar. §. fin. quæst. 60. n. 2.* Quod si pupillus pubertati proximus & doli capax est, ex delicto tenetur: quia intelligit se delinquere *§. in summa Inst. de oblig. ex del.* Et ita impuberem furtum facere, si jam doli capax, textus est in *l. impuberem 23 de furtis.* Et Cajus docet, pupillum proximum pubertati, capacem esse & jurandi, & injuriæ faciendæ *l. pupillum h. tit.* Ideoq; etiam ejusmodi

pupillus & pubertati proximus, nonnunquam, ubi malitia ætatem supplet, ob delictum capite potest plecti. Et sic fures proximos pubertati, si furtum magnum est, & per ascensum vel effracturam perpetratum, ac malitia ætatem supplet, capite posse puniri, constitutum est *in Constitutione criminali Caroli V. artic. 164.*

Regulariter tamen pupillis etiam pubertati proximis propter ætatem succurritur *h. l. n.* h. e. pœna mitigatur, & ordinaria in arbitrariam convertitur, *c. 1. Ext. de delict. puer.* Atq; ita pupillus committens homicidium, licet sit doli capax, nō decapitatur *Dec. h. n. 2.* Et in omnem casum nunquam debere pupillum pœna capitali affici, etjam pro quocunq; gravi delicto, sed ejus pœnam debere esse citra mortem vel membri mutilationem, tradit Clarus §. *fin. quæst. 60. n. 3.* 3.

Sed quid de minoribus, hoc est, jis, qui puberes quidem sunt, sed annum ætatis XXV. necdum excesserunt, statui debeat? videndum est. Et constat, in criminibus & publicis judicijs, ætatis suffragio minores non juvari. Etenim malorum mores, infirmitas animi non excusat, *l. 1. C. si adv. del.* Et ut Ulpianus ait: placet in delictis, minoribus non succurri, *l. si ex causa 9. §. nunc videndum. de minorib.* Sed tamen & his pœnam solere mitigari, qualitate personæ & reliquis circumstantijs ad id judicem inducentibus, communiter traditur *Clar. d. §. fin. quæst. 60. n. 3.* Et propterea Triphoninus, cum dixit, in delictis minorem

rem annis XXV. non mereri in integrum restitutionem: addit: nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit *l. auxilium 37. §. 1. de minorib.* Unde patet; in arbitrio judicis esse positum, utrum minori delictum committenti pœna mitiganda sit nec ne *Wesenb. in paratt. ff ad L. Cornel. de Sic. n. 26. Menoch. de arb. jud. quæst. casu 329. n. 11. per d. l. auxilium.* Non semper itaq; minoribus pœnæ mitigandæ sunt, sed *interdum*, ut est *in d. l. auxilium*, si videlicet graves circumstantiæ hoc svaserint *Fachin. 1. controv. 71.*

4. Quod de minoribus dictum, idem de senibus quoq; statuendum videtur, ut sc. propter ingravescentem ætatem pœna mitiganda sit. Ignoscitur enim etiam his qui ætate defecti sunt *l. si quis 3. §. ignoscitur 7. ff. de SC. Syllan.* quia senectus habet puerilem sensum *gl. in l. senectus C. 16. de donat. Menoch. d. casu 329. n. 21.*

5. Imprudentiæ quoq; succurritur, *h. e. imprudentiæ ratio habetur*, seu *pœna propter imprudentiam mitigatur*, cum quis major XXV. annis non data opera, aut deliberatò & ex proposito, sed casu sive per imperitiã lapsus est, cujus exemplum extat *in l. quamvis 11. de jus voc.* ex qua, ut inscriptio arguit, hæc regula desumta est. Imprudentia itaq; quandoq; meretur veniam, utpote, si quis sine dolo malo Album Prætoris imprudenter corruperit *l. si quis id quod ff. de jurisd.* Ubi nulla culpa argui possit, imprudentiæ consulitur: sed non in ignoran-

ignorantia, in qua etsi non crimen, culpa tamen inest *l. de legib. Cujat. 19. Obs. 10.* Et notandum, voluntatem & propositum delinquentis maleficia distinguere *l. qui injuriæ 53. de furt.* Itemque in maleficijs voluntatem spectari, non exitum *l. Divus Adrianus 14. ad L. Cornel. de Sicar.*

AD L. CIX.

Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest.

Nullum crimen patitur, *h. e. extra causam delicti est, sive non incidit in crimen aut criminis pœnam, seu culpa caret*, qui non prohibet, cum prohibere non potest, *h. e. qui quidem vellet prohibere, si posset, sed non potest.* Atq; ita Paulus dixit, culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest *l. culpa caret 50. eod.* Nemo enim ad impossibile obligatur *l. impossibilium h. tit.* Sic dominus, qui scit quidem & patitur per servum suum furtum fieri, aut homicidium committi, quia trans flumen est, & prohibere delictum non potest, non videtur furti, occisivi hominis reus, ut sic in solidum obligetur, sed noxiæ deditione liberatur *l. 3. cum l. seq. de noxal. act.* Alioquin verò jure naturæ qui socium non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes aut amicos deserat. *Cic. in officijs.* Et hinc si servus, sciente & patiente domino, qui prohibere potuit, quem occidit, in solidum dominum obligat. Ipse enim creditur dominus occidisse *l. 2. de noxal.* Et qui scivit, h. e. passus est. Scientiam enim *hic* pro

hic pro patientia accipimus. Et non prohibens cum prohibere potuerit, tenetur *l. scientiam 45. in pr. ad L. Aquil.* Quod ita obtinet, si prohibere & debuit, & potuit. Aliàs enim nemo punitur ex eo quod delictum non prohibuit, si non debuit prohibere, excepto crimine læsæ majestatis: & ita id communiter traditur, referente Claro *d. §. fin. quæst. 87. n. 3.*

AD L. CX.

In eo quod plus est, semper inest & minus.

1. HIs verbis significat Paulus, plus semper in se continere quod minus est, ut loquitur Pontifex *in c. plus 31. de reg. jur. in 6.* Et inde pendet regula: Non debet cui plus licet, quod minus est, non licere *l. non debet 21. h. tit.* Sic majori summæ inest minor *§. is qui Instit. de mandato.* ubi is qui fundum aureis centum sibi emi mandavit; mandati actione conveniri potest, etiam eo casu, si minoris fundus iste emtus sit: quod summa minor in majori quantitate contineatur, bonoq; & æquo conveniat, ut mandans teneatur de eo, ex quo conditio ipsius melior facta est *l. diligenter 5. §. ult. ff. mand.* Sic in toto continetur pars *l. in toto 113. h. tit.* & in genere species *l. semper per specialia 147. eod.*

AD § I.

Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi si cum satisdatione.

2. EXpromissor hic intelligitur pro defensore. Nemo enim alienæ litis defensor idoneus sine satis-

ſatisdatione intelligitur *l. qui proprio 46. de procur.* Adjicitur in textu: *niſi cum ſatisdatione.* Satisdare dicimus, cum pro eo, quod à nobis quis petit, ita cavemus, ut eum hoc nomine ſecurum faciamus, datis fidejuſſoribus *l. 1. qui ſatisd. cog.* Quæ ſatisdatio facit, ut reus principalis, qui abeſt, videatur eſſe præſens, ejusq; cauſam & perſonam repræſentat *d. l. qui proprio §. qui alium.*

AD §. 2.

Pupillum pati poſſe, non intelligitur.

PAti hoc loco nihil aliud eſt, quàm ex patientiæ tacito quodam conſenſu obligari: Et ita pati pupillus non intelligitur, h. e. pupillus non intelligitur tacito conſenſu alicui obligari. Ratio eſt: quia pupillus nec expreſſè alijs ſine tutore obligari poteſt: quomodo ergò obligabitur tacitè? Alias pupillus injuriā pati poteſt *l. 3. de injur.*

AD §. 3.

Ubi verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum.

VBi verba conjuncta non ſunt, *h. e. ubi oratio non eſt conjuncta, ſed disjunctiva, veluti quando quis promittit Titio decem dare, ſi Cajam uxorem duxerit, aut Doctor factus fuerit.* Et hic ſufficit alterutrum eſſe factum, *h. e. liberabitur, ubi alterutrum impletum eſt.* Aliud exemplū eſt *in l. plerumq; 10. §. ult. de jure dot.* ubi maritus, qui ſoluto matrimonio aut dotem, aut ejus æſtimationē reſtituere promiſit, promiſſioni ſatisfeciſſe dicitur, ſi æſtimationē

dotis

dotis præſtiterit. Atq; hinc ſi quid ſub duabus conditionibus disjunctivis in ſtipulationem deductum ſit, committitur ſtipulatio, ſi alterutra conditio extiterit, quantumvis una defecerit, veluti Africanus *in l. ſi ita quis 63. ff. de verb. oblig.* ſecus ſe res habet, ſi oratio eſt conjuncta, vel conditiones conjunctim adſcriptæ ſint, veluti, ſi navis ex Aſia venerit, & Titius conſul factus fuerit: tunc enim utrumq; oportet eſſe impletum, ut ex obligatione quis poſſit conveniri, *l. ſi quis, 129. de verb. obligat. d. l. ſi ita quis.* Et hic notandum: cum in obligatione alternativa utrumq; ſit; benignitatis eſſe, ut alterutro eorum ſoluto & præſtito liberetur debitor ab utroq; *l. plerunq; 10. in fin. de jure dot.* Et in alternativis debitoris eſſe electionem, *textus eſt in c. in alternativis 70. Ext. de reg. jur. in 6. & d. l. plerunq;.*

Ad §. ult.

Mulieribus tunc ſuccurrendum eſt, cum defendantur, non ut facilius calumnientur.

15. Mulieribus tunc ſuccurrendum eſt*, ait Paulus *h. l.* hoc eſt, mulieribus ſubvenitur, ubi ipſæ propter infirmitatem ſive imbecillitatem decipiuntur: *Non ut facilius calumnientur,* h. e. ſuccurritur eis, ut ipſæ alios decipiant & circumveniant. Æquitatis enim interpres eſt Prætor *l. Divus de in integ. reſtit.* non fautor & defenſor injuriarum. Unde reſponſum eſt, quod ſi mulier decipiendi animo interceſſerit, cum ſciret ſe non teneri, non adju-

adjuvandum exceptione SCti Vellejani *l. si decipiendi animo ff. ad SC. Vellej. l. si sine C. eod.*

AD L. CXI.

Pupillum, qui proximus pubertati sit, capacem esse furandi, & injuriæ faciendæ constat.

P*Upillus, qui proximus pubertati est,* sc. ut annale tantum & semestre tempus reliquum sit: *capax est fraudi & injuriæ faciendæ,* h. e. tunc quia intelligit quid agat, & doli capax est, furtum & 1.
injuriam & alia delicta committere potest: & propterea ob delicta commissa obligatur & punitur *l. impuberem de furt.* Hinc summus Reip. favor, cujus interest delicta non esse impunita *l. si longus de judic.* sed tamen ætati parcitur, ita ut pœna mitigetur, & ordinaria in arbitrariam convertatur, *de quo dictum in l. fere in omnibus 108. sup. eod.*

AD § 1.

In heredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio: veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum.

P*œnales actiones* sunt, quibus pœnas quæ ex 2.
maleficio debentur, *eæ ad heredes non transeunt,* h. e. heredes ob delictum à defuncto commissum, non conveniuntur: quia delicta suos debent tenere authores *l. Sancimus C. de pœn.* Quod verum est, nisi sit lis contestata, vel aliquid ex maleficio ad heredes pervenit. Nam quando lis contestata est, pœnales actiones transeunt quoq; ad heredes, in privatis sc. delictis. Et ubi quid

ad heredem ex delicto pervenit, tunc quatenus ad eum pervenit, tenetur, *de quo in l. sicuti pœna 38. sup. eod.*

AD L. CXII.

Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

N*Ihil interest*, h. e. effectu sive vi ipsa: idq; inspecto fine; nam fieri potest, ut si reus exceptionem non opponat, condemnetur *l. Divus de in integ. restit.* an ipso *jure quis actionem habeat, an per exceptionem infirmetur.* Verba illa, *ipso jure*, hoc in loco pro legis authoritate & potestate accipimus. Et sic ipso jure fieri dicitur, quod fit legis authoritate & potestate. Et ita *ipso jure* quis habet actionem; cui actio competit legis authoritate. Atq; ita verba illa *ipso jure* opponuntur exceptioni *l. 4. de servit.* Adeoq; Paulus JC. hoc docet *hac regula:* Si quis actionem aliquam competentem habuit & instituit, quæ exceptione aliqua opposita peremtoria elidatur, quod tum perinde sit, ac si actionem nullam habuisset: Est enim exceptio, exclusio actionis *l. 2. in pr. de except.* & quasi nulla actio est, quæ exceptione repellitur *l. & eleganter 7. §. servus 8. ibi, quia nulla actio sit de dolo malo.* Et hinc in jure nostro sæpè dicitur, actionem non dati, quæ quidem datur, sed opposita exceptione eliditur, ut in SC. Macedoniano *l. 1. de SCto Maced.* & SCto Vellejano *l. 1. §. 1. ad SC. Vell.* Huc pertinet *l. non videtur cepisse. h.t. & l. Marcellus. 66, sup. eod.* Exemplum *hujus regulæ*

egre-

egregium est *in l. si creditori 28. de leg.* 1. ubi quæritur, an hoc legatum valeat, si debitor creditori suo, adversus quem tamen exceptione tutus est, id legaverit, quod ei debet. Et respondet Ulpianus, legatum illud valere, quod creditori remissa cēseatur exceptio ista, qua debitor eum excludere potuisset: quod ipsum quoq; scribit Julianus *in l. si creditor 13. de liberat. leg.*

AD L. CXIII.

In toto & pars continetur.

CONcordat *c. in toto 80. de reg. jur. in 6.* In toto partem contineri non dubium est: quod ipsum hoc loco ita effertur: *In toto & pars continetur.* Ratio est: quia totum est quod ex partibus constat. Totum enim ex partium aggregatione coit & componitur, quod in artificialibus quidem, *ut domus*, partibus suis est natura posterius: In naturalibus verò, *ut homo*, sunt pars & totum natura simul *l. rerum mixtura. de usucap.* Et ex hac regula id consequitur, ei qui totum fundum petijt, & succubuit, rei judicatæ exceptionem opponi posse, si postea partem ejus fundi petere velit, quod pars in toto sit, ut refert Ulpianus *in l. si quis 7. de except. rei judic.* Atq; hinc est, quod in jure nostro de toto statuitur, idem quoq; juris esse dicatur de singulis partibus *l. quæ de tota 76. in pr. de rei vendic.*

AD L. CXIV.

In obscuris inspici solet quod verisimilius est, aut quod plerumq; fieri solet.

IDem dicitur *in c. inspicimus 46. de reg. jur. in 6.* Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerunq; fieri consuevit. Obscura propriè sunt, quæ omninò non possunt intelligi *d. l. in obscuris 9. eod.* In ambiguis & dubijs, quæ duobus aut pluribus modis accipi possunt, itidem inspicimus, *quod est verisimilius;* h. e. inspicimus quod à mente ejus qui negotium gessit, non omninò videtur alienum. Id enim est verisimile. V. G. Vir legat uxori fundum, quandoq; liberos habuerit. Mulier divortio facto (olim enim libera erant divortia) alteri nubit, liberos ex eo procreat, deinde soluto secundo matrimonio ad priorem maritum redit: quæritur an expleta conditio videatur, ita ut mulier legatum consequi possit? Et Julianus docet, hoc casu expletam conditionem non intelligi: quia non est verisimile testatorem de ijs liberis sensisse, qui se vivo ex alio suscepti fuissent *l. cum vir 25. de condit. & demonstrat.* Quin etiam *verisimilius* hic ita intelligitur, quod plerunq; & vulgò fieri solet *arg. l. pretia ad L. Falcid.* Et ita in obscuris, ambiguis, & dubijs inspicimus quod plerunq; fieri solet. Et ita quando paciscimur, pacta plerunq; ita accipimus, ut includantur heredes. Quia plerunq; tam heredibus nostris, quàm nobismetipsis cavemus. Ideoq; si pactum factum est, in quo heredis mentio facta non sit, & quæritur, an id actum sit, ut ipsius duntaxat persona eo statueretur: quamvis verum est, quod qui excipit,

proba-

probare debeat, quod excipitur; attamen de ipso duntaxat, ac non de herede quoq; convenisse, petitor, non qui excipit, probare debet *l. si pactum 9. de probat.*

AD L. CXV.

Si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse.

REgula hæc desumta *ex edicto de calumniatoribus l. 3. de calumn.* Nam cui remissio obligationis facta est, alterius vexandi causâ, rectè dicitur calumniator, & in edictum de calumniatoribus incidisse *d. l. 3.* Et qui obligatione liberatus est, videtur cepisse pecuniam, si sc. in quo quis liberatus est, aliquid commoditatis parit, aliàs non videtur accepisse, puta, si debitum illiquidum sit accepto latum, vel si stipulatus pecuniam aut liberationem, exceptione potest submoveri. Sic creditor quoq;, qui pecuniam sibi certo debitam remisit, suo debitori illam donasse intelligitur, *l. si quis delegaverit 12. de novat. l. pactum 22. C. de pact.*

AD § I.

Non potest videri accepisse, qui stipulatus potest exceptione submoveri.

HÆc est sententia horum verborum: Is in edictum de calumniatoribus non incidit, cui ad negotium faciendum vel non faciendum stipulanti quid ita fuit promissum, ut petituro possit aliqua exceptio, qua actio ab illo instituta eli-

datur, opponi. Nam quando actio per exceptionem oppositam eliditur, nihil actor consequitur. Et nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an verò ea per exceptionem infirmetur, *l. nihil interest 113. eod.*

AD L. CXVI.

Nihil consensui tam contrarium est, qui & bonæ fidei judicia sustinet, quàm vis & metus; quam comprobare, contra bonos mores est.

1. HÆc Ulpiani lex descripta est ex ejus lib. 11. ad edictum, *quod est de restitutione in integrum.* Et quidem in hac regula traditur: quomodo restitutio detur ob vim vel metum illatum. Quia namq; sine consensu eoq; libero, sive conventione, nullus omninò contractus iniri potest *l. 1. §. pen. de pact.* liber autem consensus hic est, qui vi metuve justo vacat: inde prætor, tanquam custos æquitatis, eam obligationem ratam non habet, quæ per vim aut metum extorta est; verum restitutionem in integrum ei, qui hoc nomine in captionem incidit, velùti videre est *in l. 1. & 2. de integ. restit.* Sequitur in hac regula: *Qui & bonæ fidei judicia sustinet.* Ulpianus hic meminit duntaxat judiciorum bonæ fidei; Quia consensus & bona fides imprimis in bonæ fidei judicijs & contractibus exigitur: adeò ut contractus bonæ fidei ipso jure nulli sint, si vis vel metus in ijs intervenerit *text. l. si dolo 5. C. de rescind. vendit.* Diversum est in contractibus stricti juris; neq; enim hi, si vi metuve initi sint, ipso jure nulli sunt,

ſunt, ſed neceſſaria ibi eſt exceptio doli vel metus, quæ opponi debet, quemadmodum hoc eleganter declarat Juſtinianus *in §. 1. Inſtit. de except. l. ſiquidem 9. C. de contrah. & committ. ſtipul.* At ei quod dictum, contractum vi & dolo initum, eſſe ipſo jure initum, objici poſſet; quod emtio quæ dolo inita, adeoq; ipſo jure nulla eſt, opus habet reſciſſione. Cui reſpondendũ eſt hoc modo: Venditionem interdũ propriè accipi, pro conventione, quæ fit ſimulatq; de merce & pretio convenit, ac perfectus dicitur licet res emta non ſit tradita, nec pretium ſolutum: Interdum vendititionem ſignificare, quæ traditione accepit effectum. Nunc emtio venditio cui dolus aut metus dedit cauſam, ipſo jure nulla eſt, ſeu contractus emtionis venditionis nullus eſt, qui ita eſt initus, ut quis eum non inijſſet, niſi dolo aut metu fuiſſet inductus: & ideo ex ejusmodi contractu emtionis venditionis nullo, nulla naſcitur obligatio, nulla naſcitur actio. At venditio, quæ traditione accepit effectum, cui dolus aut metus cauſam dedit, illa eget reſciſſione. Nam reſcindi dicitur traditio quæ interceſſit, & reſtitui oportet omnia in integrum: atq; ita non ipſa venditio reſcinditur, ſed traditio. Et quidem ſi dolus dederit cauſam traditioni, erit actio de dolo, vel reſciſſa venditione reſtituetur vindicatio ei, qui ſuum dominium tradendo alienavit. Sic ſi metus dedit contractui cauſam; tum vel dabitur actio, quod metus cauſa, vel reſciſſa tra-

ditione, restituitur dominium sic alienatum per *l. metum 9. §. volenti 4. de eo quod met. caus. Cujat. in l. 1. C. de resc. vendit. ubi eleganter hæc tractat.*

2. Deniq; JC. in fine addit hæc verba: *quem comprobare, contra bonos mores est.* Quæ verba non sunt omninò otiosa. Nam cum is qui vi aut metu inductus est quodammodò consentiat *l. si eum exceptione §. eum, Quod met. caus.* fit, ut stricto jure obligetur, *§ 1. Instit. de except.* At rursus quia liber non fuit consensus, & alioqui non sit æquū, ut alicujus melior ex delicto suo fiat conditio *l. non fraudantur §. fin. d. tit.* evenit, ut Prætor (qui est custos æquitatis & interpres *l. nam & ipsum de just. & jure*) illam obligationem approbat, & restitutione in integrum, vim aut metum passo succurrat; dum tamen vis enormis sit, & metus justus. Alioqui vani timoris non justa excusatio est *c. vani timoris de reg. jur. in 6.* Quod enim contra rigorem juris fit debet secum justissimam adferre causam, ut illi rigori præponderet, *l. in honorariis in fin. de oblig. & act.* Et hoc est quod ajunt: prætorem de minimis non esse solicitum *l. serv. de restit. in integ.*

AD § I.

Non capitur, qui jus publicum sequitur.

3. IN hac regula traditur, quomodo restitutio detur ob ætatem minorennem. Si sc. minores se deceptos esse, & quidem contra juris communis rationem læsos esse probant. Si enim lædatur minor

nor fortè in jis, quæ leges statuunt, sive in captionem incidat eo tempore, quo jus publicum est, secutus, h. e. jure communi usus est, tunc in integrum non restitui debet minor. Et hoc est quod Ulpianus hic tradit: *Non capitur, qui jus publicum sequitur.* Non capitur, *h. e. non decipitur*: qui jus publicum sequitur, h. e. qui secundum jus commune contractum inijt, vel quid egit. Et hic non decipitur, ut sc. detur illi restitutio in integrum propter ætatem quasi captus. Exemplum hujus extat *in l. verum 11. § item non restituetur, de minorib.* ubi restitutio in integrum denegatur minori, si servus, quem necessariò emit, post contractam emtionem statim decesserit, quod captus non sit emendo sibi rem necessariam, licet mortalem.

AD §. ult.

Non videntur qui errant, consentire.

IN hac regula traditur, quomodo restitutio in integrum datur ob errorem justum. Qui enim justo errore lapsi sunt, in integrum restituuntur, *l. 2. de in integ. restit.* Ratio redditur à JCto hoc loco: *quia non videntur, qui errant consentire.* Neq; enim consensus est aliud, quâm duorum idem sentientium conspiratio *l. 1. de pact.* quod in errore non contingit, ubi in diversas partes discedunt agentium voluntates *l. si ego de reb. credit.* Error autem hic non quivis intelligitur, sed is saltem, qui justus est, atq; in facto contingit, *l. 2. de restit. in integ.* Nam error juris excusationem 4.

nullam meretur *l. error 8. & l. seq. de juris & facti ignor.* Interpretationem hujus regulæ cum eleganti exemplo habemus *in l. si per errorem 15. de juridict.* ubi docet Ulpianus, non videri jurisdictionem prorogasse, h. e. in alium judicem consensisse, qui putat se propter factum, de quo agitur, ejus jurisdictionis esse, cujus non est. Non consentiunt, qui errant, inquit; & addit: Quod enim tam contrarium est consensui, quàm error, qui imperitiam detegit. *d. l. si per.* Sic si quis per errorem aut imperitiam deceptus, vicinum novum opus facere sit passus, ex quo aqua pluvia ei noceat, non videtur consensisse se, ut ab actione aquæ pluviæ arcendæ debeat abstinere. Nulla enim voluntas errantis est, *l. Labeo ait 19. cum l. seq. de aq. & aq. pluv. &c.*

AD L. CXVII.

Prætor bonorum possessionem hæredis loco in omni causa habet.

SEntentia legis est: Heredem & bonorum possessionem in effectu non differre, sed utrumq; eodem prorsus jure censeri. At quoad efficientem causam differunt, heres & bonorũ possessio, in eo, quod hæres & hereditas sit juris civilis, ut bonorũ possessor & bonorũ possessio, juris Prætorij. Jus civile facit heredem, h. e. dominum. Prætor facit bonorũ possessionem. Nam cum per legem, aut similem juris constitutionem veluti SCta, heredes fiant *§. quos autem Instit. de bon. poss.* consequens est, per prætorem non posse fieri heredem,

dem, ut, qui non legislator, sed tantum legis à populo, aut senatu latæ, sit interpres §. *nam & Inst. de just. & jure.* Unde nec edictis ab eo propositis olim erat perpetua, sed tantum annua erat authoritas *Just. de perp. & temp. act.* Secundum quæ edicta, ob solum honorem illi magistratui debitum, tantillo tempore sinebat, Pop. Romanus à Prætore jus dici, ita ut inde jus à Prætore constitutum, sit honorarium jus appellatum §. *prætorium Instit. de jure nat. gent. & civ.*

AD L. CXVIII. aliàs CLVIII.

Creditor, qui permittit rem venire, pignus dimittit.

HUcusq; ordo legum in lectione Florentina & vulgata convenit. Quæ verò leges sequuntur, earum ordo ob transpositionem quaternionis ultimi per incuriam compactoris in Pandectis Florentinis inversus est, *de quo Antonius Augustinus lib. 1. emendat. cap. 1.* Nos ordinem legum, quemadmodum in vulgatis referuntur, sequemur. Hæc itaq; lex in vulgatis libris *est 118.* at in Florentinis *est lex 158.* Sic habet: *Creditor qui permittit rem venire, pignus dimittit,* h. e. Creditor, qui expressè consentit alienationi & venditioni rei, in qua pignoris jus habet non protestando de jure suo, videtur jus suum in ea amittere *l. si debitor §. si in venditione ff. Quib. mod. pign. l. qui consensit 7. d. tit.* Aliàs verò si permittat alienari, h. e. tantum non contradicat alienationi; jam certè, quia nemo præsumitur jactare suum, non

statim

ſtatim dicemus cauſam pignoris eſſe relaxatum, *l. ſicut §. non videtur.] Quib. mod. pignus.* quinimo tranſitura res eſt ad accipientem cum ſua cauſa, *l. traditio ff. de acquir. rer dom.* Illud notandum, quod licet quis pignus alienari, expreſſè permiſit, creditorem propterea debitum non dici remiſiſſe, niſi & cautionis inſtrumentum reddiderit; quia ſi id fiat, & creditum remiſiſſe creditur, ſeu tacitè conveniſſe videtur, ne peteret *l. 2. & 3. de pact.*

Ad L. CXIX. alias CLIX.

Non ut ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt; ita ex pluribus cauſis idem poſſit noſtrum eſſe.

1. Deberi quid mihi, & meum quid eſſe, in jure diverſa ſunt. Quod enim mihi debetur, idipſum ex pluribus cauſis mihi deberi poteſt: quod verò meum eſt, idem illud non niſi ex una cauſa meum eſſe poteſt. Cauſæ appellatione Paulus hic titulum denotat *l. ſi ego 11. § idem Julianus de public. in rem act. l. 3. §. ex plurimis & §. genera de acq. poſſ.* Quod igitur Paulus hic ait, idem ex pluribus cauſis deberi nobis poſſe, hoc ipſo ſentit, unam eandemq; rem ex pluribus titulis deberi nobis poſſe; ſeu in obligationem poſſè deduci, ex qua actio diverſa detur perſonalis ad rem debitam conſequendam: ſed eandem rem non niſi ſemel & ex una cauſa fieri noſtram, & ſic dominij unam tantum eſſe cauſam. V. G. poteſt alicui una res ex contractu emtionis

nis deberi; & eadem res poteſt legari §. *ſi res aliena Inſtit. de legatis.* Hic eadem & ex legato nobis debetur, ſeu obligata eſt. Et ſi res exempla vivo teſtatore non eſt tradita, ex contractu emtionis rectè adverſus venditorem, ejusq; heredes emtor agit. Poteſt etiam eandem ex legato petere; ſed ſi res ex contractu emtionis tradita, atquè ita dominium quis conſecutus eſt, non poterit quis eam amplius ex legato petere, atq; denuò ſuam facere, ſed eo caſu ad rei pretium, quod ſibi abeſt, quodq; venditori numeravit *d. §. ſi res aliena Inſtit. de legat. l. planè 34. §. quod ſi rem de legat. 1.* Quia dominij una cauſa eſt; Et quod ſemel meum eſt, amplius meum fieri non poteſt, *§. ſic itaq; diſcretij Inſtit. de act.* Hinc eſt, quod ſi quis egerit rei vendicatione, & ſuccubuerit, amplius eandem rem non poſſit vendicare, quaſi ex alia cauſa: quia non poteſt res eſſe alicujus, niſi ex una cauſa. Sed ſi debetur res ex pluribus cauſis, puta, ex mutuo, ſtipulatione, emtione, teſtamento, & actor egerit in perſonam ex una cauſa, & ſuccubuerit, non prohibetur agere ex altera. Et ita actiones in rem, & actiones in perſonam differunt: quod actio in rem non iteretur; actio in perſonam iterari poſſit, mutata cauſa. *l. & an eadem 14. §. actiones ff. de except. rei judic. l. ſi ancillam 7. C. de contrah. emt.* 2.

AD L. CXX. aliàs CLX.

Aliud eſt vendere, aliud vendenti conſentire.

Aliud

1. Aliud esse vendere, aliud verò vendenti consentire, nemo inficiabitur. Æquè ut aliud est contrahere, aliud contrahenti consentire. Qui contrahit, puta, qui vendit, se obligat; qui tantum consentit alij contrahenti, animum se obligandi non habet. Sic neq; is qui alienare nequit, protinus se alienanti consentire prohibetur. Sic minor XX. annis libertatem dare non poterat, *juxt. §. ult. Instit. Qui & quib. ex caus.* cum tamen consentire posset *l. 2. l. 4. de manumiss. vindict.* Sic quæsitum fuit, si quis rem alterius vendidit minoris quàm ei mandatum fuit, an is cujus res vendita est, possit eandem repetere ut suam, an verò petituro obstet exceptio rei venditæ. Et Celsus tradidit, hoc casu non videri alienam, nec petituro exceptionem rei venditæ nocere *l. 1. §. Celsus ait, de except. rei vend.* Et in *hac lege* Ulpianus addit rationem ejus decisionis; quod aliud sit vendere, aliud vendènti consentire. Si enim ipse dominus vendidisset rem suam, exceptio rei venditæ ei nocebit. Sed quia ipse dominus rem non vendidit, consensit autem venditioni; sed tamen consensit non aliter, quàm ut pretio res venderetur, quod judicaverat: Ideò aliud est vendere, & aliud vendenti consentire, *d. l. 1. de except. rei judic.*

Ad § 1.

Refertur ad universos quod publicè fit per majorem partem.

Ait

AIt Ulpianus; *Refertur ad univesos*, h. e. omniũ sententijs approbatum est, *quod publicè fit per majorem partem*, h. e. quod in universitate major pars concludit & facit *l. quod major pars ff. ad municip. l. nemo §. hoc edictum de testam. h. tit.* Majorem autem partem voco, quæ vel numero vincit, vel dignitate *arg. l. quæritur de stat. hom.* Jam verò quod vel à majore, vel saltem meliore populi parte factum est, facilè accidit, ut à toto populo factum videatur; nam alioqui, *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* ut est in Canonibus *c. quod omnes tangit Ext. de reg. jur. in 6.* h, e. Omnes in id consentire debent, vel expressè vel tacitè, quod omnes tangit.

Ad § ult.

Absurdum plus juris habere eum, cui legatus sit fundus, quàm heredem, aut ipsum testatorem, si viveret.

ABsurdum est, inquit Ulpianus, *Ratio est*: quia nemo plus juris in aliũ transferre potest, quàm ipse habeat *l. nemo 14. eod.* Non itaq; potest legatarius in fundo legato plus juris habere, quàm habuerit testator, qui eum fundum illi in testamento legavit, aut heres ipsius habiturus fuisset, si fundus ad eum pervenisset, nullo legato facto. Neq; debemus melioris conditionis esse, quàm actores nostri, à quibus in nos jus transit, *l. in his quæ officium 135. §. non debeo eod. tit.* Hinc inde vulgata regula processit: Resoluto jure autoris, resolvitur jus accipientis *l. lex vectigali 31. de pign.*

Itaq;

Itaq; cum legatarius quasi quodammodo heres sit, accessione testatoris cum sua causa utitur, *l. id tempus ff. de usucap.* nec melioris conditionis esse poterit, *arg. l. an vitium ff. de divers. & temp. præscript.*

AD L. CXXI. aliàs CLXI.

In jure civili receptum est, quoties per eum, cujus interest, conditionem non impleri, fiat, quo minùs impleatur, perinde haberi ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertatem & legata, & ad heredum institutiones perducitur: quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quo minus stipilator conditoris pareret.

1. Hic Ulpianus declarat propositis exemplis, quod conditio pro impleta habeatur quoties non per eum stat, cui quid datum est, sed per alium debitorem scilicet, aut ab eo interpositam personam extraneam, quo minus impleatur. Eadem lex adscribitur Juliano *in l. jure civili 24. de condit. & demonstrat.* Et sic quoq; generaliter, Pontifex: Cum stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet pro impleta. Proponit JC. exempla à libertatibus, legatis, heredum institutionibus & stipulationibus sumtis. Itaq; cui libertas relicta, vel legatum datum est sub hac conditione, ut heredi ad certum tempus inserviat, vel ejus negotia gerat, vel etiam ei certum quid det; heres autem impediat, vel in causa sit quò minus cui libertas relicta, vel legatum datum est, conditionem implere,

plere, h. e. ei servire, vel negotia ejus gerere, aut certum quid dare possit, conditio illa pro impleta habebitur, & servus, cum libertas sub illa conditione relicta est, liber erit, seu libertatem consequetur, *l. fin. C. de condit. infert. l. media 13. de ann. legat.* Sic si mihi Titius decem promittat, si Caja mihi nubat; postea autem in causa sit, quò minus mihi ea detur nuptum, quia per eum cujus interest, nō impleri conditionem, stat quò minus conditio impleatur, conditio illa pro impleta habebitur; atq; ita Titius mihi decem dare tenetur, non aliter ac si Cajam duxissem, *l. in executione 85. §. fin. de verb. oblig.* Et hoc ita obtinet, nisi causâ conditionis contradicat, ut si viginti mihi promittas, si palæstrâ te vicere: hi autem resistendo impedias conditionis eventum, quia sc. me superas: hoc casu non habebitur conditio pro impleta, licet pro impleta habeatur, si tu mecum certare nolles, *gl. & DD. in d. l. in executione §. fin. de verb. oblig.*

AD L. CXXII. aliàs CLXII.

Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

1. QUæ propter necessitatem, *h. e. quæ extra rationem juris recepta sunt: Et contra rationem juris recepta dicimus, quæ sunt recepta contra jus commune jure singulari:* ea non debent in argumentum trahi, *h. e. in exemplum*: seu non possunt produci ad consequentia *l. quod contra 180. alias 141. eod. tit.* Et generaliter in exorbitantibus, ut vocant, ex-

tensio ad similia non est facienda: juxta regulam; Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentias sunt tradenda, *c quæ à ju-*
2. *re communi. Ext. eod. in 6.* Necessitas itaq; tanta vis est, ut licitum quid faciat, quod aliàs est illicitum. Hinc patri ob necessitatem famis Imp. Constantinus hoc indulsit, ut liberos vendere posset *l. ult. C. de patrib. qui fil. distrax.* Sic Paulus cibaria in commune conferri jubet, si in navigatione defecerint *l. 2. §. cum in eadem, ad L. Rhod. de jact.* Sic ex causa famis, uti quoq; ex causa redemtionis, res sacræ, quarum alienatio alioquin prohibita est, alienari & obligari permittuntur. Quia animæ hominum quibuslibet rebus sunt pretiosiores *l. Sancimus 29. C. de SS. Eccl. c. aurum 12. quæst. 2. c. gloria 12. q. 2.* Et alioquin etiam ex alia causa necessitatis, utpote, si æs alienum urgeat, neq; id aliunde persolvi potest, res sacræ & Ecclesiæ, adhibitis certis solennibus alienari possunt *Auth. hoc jus porrectum & Auth. præterea C. de SS. Eccl.* Sic quo furtum cibariorum, vestium & pecudum, nonnunquam propter extremam famis & nuditatis necessitatem à pœna furti excusatur, *c. si quis propter necessitatem 3. Ext. de furt.* & tradit Cagnolus *ad h. l. n. 3.* & Clarus *§. furtum, vers. quandoq; n. 24.* Sic judex propter necessitatem, tollendæ sc. controversiæ causâ, usum rei communis uni totum adjudicare potest, quia usus, utpote res incorporalis, dividi nequit *l. item 10. §. 1. comm. divid.*

Verum

Verùm quæ ita urgente necessitate, vel propter 50 necessitatem recepta sunt, non debent in exemplum trahi, seu non facilè id imitari licet, h.e. cessante eadem necessitatis causâ sequi id nemo debet: aut si par necessitatis, vel major etiam ratio subsit, tamen id non facilè debemus imitari *h. l. n.* Quamvis itaq; necessitas plerumq; impossibilia persvadet, & juris regulas restringat, *l. fin. §. si propter. de public.* Secus tamen est, si necessitas libidinis explendæ causa allegetur *l. palam 43. §. 5. ff. de rit. nupt.*

Ad L. CXXIII. aliàs CLXIII.

Cui jus donandi, eidem & vendendi & concedendi jus est.

Ex hac regula, qui donandi rem jus habet, is 1 etiam habebit rem eandem vendendi, aut quovis alio modo concedendi, argumento ducto à majori ad minus. Plus enim est donare, quod profusionem quandam patrimonij continet, *l. filiusfam. de donat.* quàm vendere, (quod administrationis & utilitatis est, propter pretium *l. actionum genera de oblig. & act.*) aut concedere, quod amicitiæ est, ut in commodato & precario *l. 1. de precar.* Et cui quod plus est licet, non debet quod minus est, non licere *l. non debet 21. cod.* In quibusdam tamen casibus receptum 2 est, ut quis donare possit, vendere tamen aut alio modo concedere, nisi decreto interposito, non possit: quoniam alia est ratio in donando, quæ scilicet donationem permittit; alia in ven-

dendo aut aliter transferendo, quæ hoc, nisi certo modo fieri, vetat *l. ult.* C. *de prædijs* Decur. *sine decreto non alien.* Sic Senatus mulieri obliganti se pro alio succurrit, non donanti: quia facilius se mulier obligat, quàm donat, *l. 4. ad SC. Vell.* Sic & Zeno consideravit, quod facilius quis vendat, quàm donet: & ideò venditionem, quæ sine decreto fieret, prohibuit, non donationem *d. l. ult.* C. *de præd. decur.*

AD L. CXXIV. aliàs CLXIV.

Pœnalia judicia semel accepta, in heredes transmitti possunt.

HÆc lex est declarata in *l. sicuti pœna 38. eod.* quod nimirum pœna defuncti ex privatis delictis, (non etiam publicis judicijs) procedens, heredem non contingat, nisi ex delicto ejus lucrum ceperit, *d. l. sicut.* aut judicium fuerit acceptum, h. e. lis contestata, §. *1. Instit. de perp. & temp. act. l. unic.* C. *ex delict. defunct.* Cum enim judicio quasi contrahatur, judicia pœnalia (sive actiones pœnales, quibus pœnam persequimur) cum defuncto, qui pœnali judicio aliquo tenebatur, ad heredem & cæteros successores transferuntur, & quasi ex contractu in obligationem defuncti succedunt: ut jam non pœna ab eis peti videatur, sed id quod in judicium deductum fuit *l. 3. §. idem scribit. de pecul. l. omnes actiones 181. h. tit l. pupillum 111. §. in heredem 1. eod.*

AD L CXXV. aliàs CLXV.

Cum quis possit alienare, poterit & consentire aliena-

alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit; nec, si donationis causâ consenserit, ratam ejus voluntatem habendam.

DUplex hic videtur tradi definitio, certam habens distinctionem: cujus prior pars in universum pertinet ad omnes, quibus alienandi jus est, eos & alienationi consentire posse: posterior ad eos tantum, qui donandi potestatem non habent; ut nec donationis causa consentire possunt alienanti aut donanti. Dicit autem JCtus *in h. l.* cui autem donare non conceditur, probandum erit; nec si donationis causa consenserit, ratam ejus voluntatem habendam. Quibus verbis significat Ulpianus, eum cui donare non est permissum, nec donationi posse consentire; aut etjam si consentiat, tamen hunc consensum pro nullo haberi: idq; ita infert Ulpianus, argumento à contrario sensu ducto: cum qui alienandi & donandi jus non habet, consensum quoq; alienationi & donationi frustra præbeat. Et sic qui tutelam gerit, ei licet vendere bona pupillaria quodammodò possit, donare ei tamen non permittitur, neq; donationis causa in alienationem rerum consentire, *l. tutor 13. §. 2. de admin. & peric. tut.* Quod tamen secus est in tutoribus Regum & illustrium personarum *Gail. 2. Obs. 27. n. 4. 8. & 9.*

Ad L. CXXVI. aliàs CLXVI.

Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

QUi rem alienam defendit, *h. e. qui alterius causa*

defensionem in se recipit sine mandato. Is enim defensor appellatur, nunquam locuples habetur, *h. e. is nunquam est tam locuples seu dives, ut à satisdationis onere sit exemtus*, Licet aliàs locupleti magis quã pauperi fides etiam sine cautione habeatur. Quia etiamsi quis locupletissimus sit & consularis, tamen ad defensionem alterius non admittitur, nisi satisdare paratus sit, *l. minor 51. cum 2. seqq. de procurat.* Quando itaq; Paulus hoc loco simpliciter eum locupletem haberi negat, qui rem alienam defendit, illud cum hoc temperamento accipiendum est, si non satis dederit, id quod etiam Justinianus exprimit; dum defensorem litis alienæ sine satisdatione idoneum esse negat *in §. si verò reus Instit. de satisdat.* Cujusmodi satisdatio in cautione de rato non acquiescit, sed ita demũ sufficiens censetur, si defensor caveat, se de suo judicatum soluturum esse *l. mutus 43. § ult de procurat.* Cautus itaq; sit defensor ejusmodi, ne prius defensionem illam suscipiat, quàm reus principalis ipse se quasi fidejussorem fecerit, in solvendo eo, quod judicatum fuerit, aut eo nomine bona sua obligaverit.

AD L. CXXVII. aliàs CLXVII.

Non videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt.

1. OBligatio alia est dandi, alia faciendi. Obligatio faciendi præcisa non est, sed statim post moram succedit in locum facti obligatio ad id quod interest *l. stipulationes non dividuntur, de verb.*

de verb. oblig. Dandi verò obligatio præcisa est, nec liberatur debitor, nisi id quod in obligatione est, omninò etiam dederit: hoc est, sic dederit, ut fiat accipientis. Hinc Ulpianus *h. l.* non videntur data, *h. e. propriè non videntur data*, quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt, *h. e. ubi dominium non statim in accipientem transit.* Sunt enim verba cum effectu accipienda *l. Imperator de in diem addict.* Et dare propriè est accipiendo dominium transferre; seu ut Imp. Justinianus loquitur; dare cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut ejus fiat *§. sic itaq; Inst. de act.*

AD § I.

Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet.

QUi jussu judicis aliquid facit, *puta, si judex servato ordine juris, & non extra officium processerit, itemq; si quæ judex jubet, justa sint & licita: aliàs ei non est parendū, Dec. h. n. 4.* non videtur dolo malo facere, *h. e. non præsumitur dolo facere, qui mandatum judicis exequitur*: juris enim executio non habet injuriam *l. injuriam 13. §. 1. de injur.* quia parere necesse habet: & necessitas eximit doli suspicionem *l. qui cum 14. §. si patris. de bonis libert.* Convenit cum hac regula, quod dicitur *in c. quod quis mandato judicis facit, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse ext. eod.* Et sic qui jussu judicis sepulchrum demolitus est, puta, ex causa, ut si ex eo aqua pluvia noceat, actione sepulchri violati non tenetur *c. 4. in pr. de aq. pluv.* 2.

defensionem in se recipit sine mandato. Is enim defensor appellatur, nunquam locuples habetur, *h. e. is nunquam est tam locuples seu dives, ut à satisdationis onere sit exemtus*, Licet aliàs locupleti magis quā pauperi fides etiam sine cautione habeatur. Quia etiamsi quis locupletissimus sit & consularis, tamen ad defensionem alterius non admittitur, nisi satisdare paratus sit, *l. minor 51. cum 2. seqq. de procurat.* Quando itaq; Paulus hoc loco simpliciter eum locupletem haberi negat, qui rem alienam defendit, illud cum hoc temperamento accipiendum est, si non satis dederit, id quod etiam Justinianus exprimit; dum defensorem litis alienæ sine satisdatione idoneum esse negat *in §. si verò reus Instit. de satisdat.* Cujusmodi satisdatio in cautione de rato non acquiescit, sed ita demū sufficiens censetur, si defensor caveat, se de suo judicatum soluturum esse *l. mutus 43. § ult de procurat.* Cautus itaq; sit defensor ejusmodi, ne prius defensionem illam suscipiat, quàm reus principalis ipse se quasi fidejussorem fecerit, in solvendo eo, quod judicatum fuerit, aut eo nomine bona sua obligaverit.

AD L. CXXVII. aliàs C[illegible]

Non videntur data, [illegible]

1. O[illegible]

p[illegible]

a[illegible]

de verb. oblig. Dandi verò obligatio præcisa est, nec liberatur debitor, nisi id quod in obligatione est, omninò etiam dederit: hoc est, sic dederit, ut fiat accipientis. Hinc Ulpianus *h. l.* non videntur data, *h. e. propriè non videntur data*, quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt, *h. e. ubi dominium non statim in accipientem transit.* Sunt enim verba cum effectu accipienda *l. Imperator de in diem addict.* Et dare propriè est accipiendo dominium transferre; seu ut Imp. Justinianus loquitur; dare cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut ejus fiat *§. sic itaq; Inst. de act.*

AD § I.

Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet.

QUi jussu judicis aliquid facit, *puta, si judex servato ordine juris, & non extra officium processerit, itemq; si quæ judex jubet, justa sint & licita: alias ei non* [illegible] *rendū, Dec. h. n. 4.* non videtur dolo malo fa[illegible] *non præsumitur dolo facere, qui manda*[illegible]*xequitur:* juris enim executio non [illegible] m [illegible] *13. §. 1. de injur.* [illegible] sse [illegible] necessitas eximit [illegible] *l.* [illegible] *i. si patris. de bonis* [illegible] a, quod dicitur *in* [illegible] *dolo facere non vi*[illegible] *xt. eod.* Et sic qui [illegible] olitus est, puta, ex [illegible] noceat, actione se[illegible] *. 4. in pr. de aq. pluv.*

defensionem in se recipit sine mandato. Is enim defensor appellatur, nunquam locuples habetur, *h. e. is nunquam est tam locuples seu dives, ut à satisdationis onere sit exemtus*, Licet aliàs locupleti magis quã pauperi fides etiam sine cautione habeatur. Quia etiamsi quis locupletissimus sit & consularis, tamen ad defensionem alterius non admittitur, nisi satisdare paratus sit, *l. minor 51. cum 2. seqq. de procurat.* Quando itaq; Paulus hoc loco simpliciter eum locupletem haberi negat, qui rem alienam defendit, illud cum hoc temperamento accipiendum est, si non satis dederit, id quod etiam Justinianus exprimit; dum defensorem litis alienæ sine satisdatione idoneum esse negat *in §. si verò reus Instit. de satisdat.* Cujusmodi satisdatio in cautione de rato non acquiescit, sed ita demũ sufficiens censetur, si defensor caveat, se de suo judicatum soluturum esse *l. mutus 43. § ult de procurat.* Cautus itaq; sit defensor ejusmodi, ne prius defensionem illam suscipiat, quàm reus principalis ipse se quasi fidejussorem fecerit, in solvendo eo, quod judicatum fuerit, aut eo nomine bona sua obligaverit.

AD L. CXXVII. aliàs C[illegible]

Non videntur data, [illegible]

1. O[illegible]

po[illegible]

a[illegible]

de verb. oblig. Dandi verò obligatio præcisa est, nec liberatur debitor, nisi id quod in obligatione est, omninò etiam dederit: hoc est, sic dederit, ut fiat accipientis. Hinc Ulpianus *h. l.* non videntur data, *h. e. propriè non videntur data*, quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt, *h. e. ubi dominium non statim in accipientem transit.* Sunt enim verba cum effectu accipienda *l. Imperator de in diem addict.* Et dare propriè est accipiendo dominium transferre; seu ut Imp. Justinianus loquitur; dare cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut ejus fiat *§. sic itaq; Inst. de act.*

AD § I.

Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet.

QUi jussu judicis aliquid facit, *puta, si judex servato ordine juris, & non extra officium processerit, itemq; si quæ judex jubet, justa sint & licita: alias ei nor … erendū, Dec. h. n. 4.* non videtur dolo malo fa … *non præsumitur dolo facere, qui manda … xequitur:* juris enim executio non … m … *13. §. 1. de injur.* … sse … necessitas eximit … *l.* … *§. si patris. de bonis* … a, quod dicitur *in* … *dolo facere non vi-* … *xt. eod.* Et sic qui … olitus est, puta, ex … noceat, actione se- … *§. 4. in pr. de aq. pluv.* 2.

defensionem in se recipit sine mandato. Is enim defensor appellatur, nunquam locuples habetur, *h. e. is nunquam est tam locuples seu dives, ut à satisdationis onere sit exemtus*, Licet aliàs locupleti magis quā pauperi fides etiam sine cautione habeatur. Quia etiamsi quis locupletissimus sit & consularis, tamen ad defensionem alterius non admittitur, nisi satisdare paratus sit, *l. minor 51. cum 2. seqq. de procurat.* Quando itaq; Paulus hoc loco simpliciter eum locupletem haberi negat, qui rem alienam defendit, illud cum hoc temperamento accipiendum est, si non satis dederit, id quod etiam Justinianus exprimit; dum defensorem litis alienæ sine satisdatione idoneum esse negat *in §. si verò reus Instit. de satisdat.* Cujusmodi satisdatio in cautione de rato non acquiescit, sed ita demū sufficiens censetur, si defensor caveat, se de suo judicatum soluturum esse *l. mutus 43. § ult de procurat.* Cautus itaq; sit defensor ejusmodi, ne prius defensionem illam suscipiat, quàm reus principalis ipse se quasi fidejussorem fecerit, in solvendo eo, quod judicatum fuerit, aut eo nomine bona sua obligaverit.

AD L. CXXVII. aliàs [illegible]

Non videntur data, [illegible]

1. O[illegible]

po[illegible]

a[illegible]

de verb. oblig. Dandi verò obligatio præcisa est, nec liberatur debitor, nisi id quod in obligatione est, omninò etiam dederit: hoc est, sic dederit, ut fiat accipientis. Hinc Ulpianus *h. l.* non videntur data, *h. e. propriè non videntur data*, quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt, *h. e. ubi dominium non statim in accipientem transit.* Sunt enim verba cum effectu accipienda *l. Imperator de in diem addict.* Et dare propriè est accipiendo dominium transferre; seu ut Imp. Justinianus loquitur; dare cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut ejus fiat *§. sic itaq; Inst. de act.*

A D § 1.

Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet.

QUi jussu judicis aliquid facit, *puta, si judex servato ordine juris, & non extra officium processerit, itemq; si quæ judex jubet, justa sint & licita: aliàs ei non* [illegible]*rendũ, Dec. h. n. 4.* non videtur dolo 2
malo fa[illegible] *non præsumitur dolo facere, qui manda*[illegible]*xequitur*: juris enim executio non [illegible] m [illegible] *13. §. 1. de injur.* [illegible] sse [illegible] necessitas eximit [illegible] *l.* [illegible] *§. si patris. de bonis* [illegible] a, quod dicitur *in* [illegible] *dolo facere non vi*[illegible] *xt. eod.* Et sic qui [illegible] olitus est, puta, ex [illegible] noceat, actione se[illegible] *c. 4. in pr. de aq. pluv.*

dendo aut aliter transferendo, quæ hoc, nisi certo modo fieri, vetat *l. ult. C. de prædijs Decur. sine decreto non alien.* Sic Senatus mulieri obliganti se pro alio succurrit, non donanti: quia facilius se mulier obligat, quàm donat, *l. 4. ad SC. Vell.* Sic & Zeno consideravit, quod facilius quis vendat, quàm donet: & ideò venditionem, quæ sine decreto fieret, prohibuit, non donationem *d. l. ult. C. de præd. decur.*

AD L. CXXIV. aliàs CLXIV.

Pœnalia judicia semel accepta, in heredes transmitti possunt.

HÆc lex est declarata in *l. siculi pœna 38. eod.* quod nimirum pœna defuncti ex privatis delictis, (non etiam publicis judicijs) procedens, heredem non contingat, nisi ex delicto ejus lucrum ceperit, *d. l. sicut.* aut judicium fuerit acceptum, h. e. lis contestata, *§. 1. Instit. de perp. & temp. act. l. unic. C. ex delict. defunct.* Cum enim judicio quasi contrahatur, judicia pœnalia (sive actiones pœnales, quibus pœnam persequimur) cum de uncto, qui pœnali judicio aliquo tenebatur, ad heredem & cæteros successores transferuntur, & quasi ex contractu in obligationem defuncti succedunt: ut jam non pœna ab eis peti videatur, sed id quod in judicium deductum fuit *l. 3. §. idem scribit. de pecul. l. omnes actiones 181. h. tit l. pupillum 111. §. in heredem 1. eod.*

AD L CXXV. aliàs CLXV.

Cum quis possit alienare, poterit & consentire aliena-

alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit; nec, si donationis causâ consenserit, ratam ejus voluntatem habendam.

DUplex hic videtur tradi definitio, certam habens distinctionem: cujus prior pars in universum pertinet ad omnes, quibus alienandi jus est, eos & alienationi consentire posse: posterior ad eos tantum, qui donandi potestatem non habent; ut nec donationis causa consentire possunt alienanti aut donanti. Dicit autem JCtus *in h. l.* cui autem donare non conceditur, probandum erit; nec si donationis causa consenserit, ratam ejus voluntatem habendam. Quibus verbis significat Ulpianus, eum cui donare non est permissum, nec donationi posse consentire; aut etjamsi consentiat, tamen hunc consensum pro nullo haberi: idq; ita infert Ulpianus, argumento à contrario sensu ducto: cum qui alienandi & donandi jus non habet, consensum quoq; alienationi & donationi frustra præbeat. Et sic qui tutelam gerit, ei licet vendere bona pupillaria quodammodò possit, donare ei tamen non permittitur, neq; donationis causa in alienationem rerum consentire, *l. tutor 13. §. 2. de admin. & peric. tut.* Quod tamen secus est in tutoribus Regum & illustrium personarum *Gail. 2. Obs. 27. n. 4. 8. & 9.*

AD L. CXXVI. aliàs CLXVI.

Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

QUi rem alienam defendit, *h. e. qui alterius causa defen-*

de verb. oblig. Dandi verò obligatio præcisa est, nec liberatur debitor, nisi id quod in obligatione est, omninò etiam dederit: hoc est, sic dederit, ut fiat accipientis. Hinc Ulpianus *h. l.* non videntur data, *h. e. propriè non videntur data*, quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt, *h. e. ubi dominium non statim in accipientem transit.* Sunt enim verba cum effectu accipienda *l. Imperator de in diem addict.* Et dare propriè est accipiendo dominium transferre; seu ut Imp. Justinianus loquitur; dare cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut ejus fiat *§. sic itaq; Inst. de act.*

AD § I.

Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet.

QUi jussu judicis aliquid facit, *puta, si judex servata ordine juris, & non extra officium processerit, itemq; si quæ judex jubet, justa sint & licita: aliàs ei non est parendū, Dec. h. n. 4.* non videtur dolo malo facere, *h. e. non præsumitur dolo facere, qui mandatum judicis exequitur*: juris enim executio non habet injuriam *l. injuriam 13. §. 1. de injur.* quia parere necesse habet: & necessitas eximit doli suspicionem *l. qui cum 14. §. si patris. de bonis libert.* Convenit cum hac regula, quod dicitur *in c. quod quis mandato judicis facit, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse ext. eod.* Et sic qui jussu judicis sepulchrum demolitus est, puta, ex causa, ut si ex eo aqua pluvia noceat, actione sepulchri violati non tenetur *c. 4. in pr. de aq. pluv.* 2

AD L. CXXVIII. aliàs CLXVII.

Rapienda est occasio, quæ præbet benignius responsum.

1. RApienda occasio, *h. e. arripienda, vel ea interpretatio est accipienda* in dubijs sc. *quæ præbet benignius responsum*, h. e. quæ partes minus gravat. Ratio hujus regulæ est, quia in dubijs semper benigniora sequimur *l. semper in dubijs 55. eod.* Itaq; etiam JCti, cum de jure dubio respondent, hoc idem facere debent, ut benignitati serviant & humanitati: quod eos plerisq; in locis factitasse observari potest, *ut in l. si præses 32. de pecul. dominus 53. de condict. indeb.*

AD § 1.

Quod factum est, cum in obscuro sit, ex adfectione cujusq; capit interpretationem.

2. EOdem *hujus §.* pertinet, ut benignitatem sequamur, vel inspiciamus id quod est verisimilius, aut quod plerunq; vel vulgò fieri consvevit: quod aliquoties superius dictum est. Eam verisimilitudinem nonnunquam etiam ex affectione, h. e. ut quisq; in hujusmodi fuerit affectus, interpretationem capere docet Paulus *in h. l.* V. G. Si datum sit legatum Titio amico, & plures sint defuncti amici, qui omnes Titij vocentur, nec certum sit, de quo senserit: ex affectione defuncti statuendum erit, ut is legatum capiat quem ex omnibus majore amore complexus fuisse, probari poterit *h. l. n. fac. l. si servum 33. ff. ad L. Aquil.*

AD

AD L. CXIX alias CLXIX.

Is damnum dat, qui jubet dare; ejus verò nulla culpa est, cui parere necesse est.

QUod superius de jussu judicis sive magistratus dictum, idem ad privatos, qui pro imperio sibi lege concesso aliquid jubent, extendi posse, textus *hic in princ.* arguit. Ait Paulus: Is damnum dat qui jubet dare: quasi dicat non tantùm tenetur ille, qui damnum ipse alicui dedit, verum etiam qui jussit alicui, ut alteri damnum daret. Quia qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per semetipsum *c. qui facit 72. de reg. jur. in 6.* sequitur *in h. l. n.* Ejus verò nulla culpa est, cui parere necesse est, hoc est, servi vel filij qui debent dominis aut parentibus obedientiam, & coguntur parêre, eis jubentibus, nulla culpa est, h. e. illi sunt extra noxiam, extra culpam, & non debent puniri, si alicui damnum dant, aut aliàs delinquant. Ratio hujus regulæ adsignatur, quod mandans dupliciter delinquat; tum quod ipse malum animo perpetrandum concepit, tū quod alium ad hoc committendum deduxit, qui aliàs facturus non erat *gl. in l. Athletus §. Pomponius ff. de his qui not. infam.* Sed tamen hæc veræ sunt in delictis levioribus; sive quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris, ut in ijs agnoscatur filijs, si obtemperaverint mandato ejus, in cujus est potestate *l. servus in fin. de oblig. l. ad ea 157. h. tit.* Aliàs verò non erat excusatus, qui jussu alterius aliquid criminosum facit *l. servos C. ad L. Jul. de* 1.

vi publ. Ideoq; non excuſatus eſt, qui juſſu alicujus dejeçit, non magis quàm ſi juſſu alicujus occidit *l.1. §. ſed et ſi de vi & vi arm.* Sane tamen etiam in atrocioribus delictis, ſi quis cogeretur aliquid facere ab eo qui vitæ aut necis habet in eum poteſtatem. V. G. Niſi hoc vel illud feceris, ſtatim te occidam: is qui metu vitæ ſuæ deliquit etiam aliquantò atrocius, excuſabitur; cum vitam ſuam aliter redimere non potuit *Bald. in c. 1. §. injuria de pace juram. firm.*

AD § I.

Quod pendet, non eſt pro eo, quaſi ſit.

1. NAtura obligationis, alteriusq; diſpoſitionis ſub conditione concepta *hic* declaratur; quod cum ex eventu pendeat, pro eo quaſi ſit, dici non poteſt, cum nec obligatio conſtet *l. cedere diem 213. de verb. ſign.* Et ita qui ſub conditione aliquid promiſſum vel obligatum habet, dum in ſuſpenſo tenetur, nihil habere videtur *arg. l. qui actionem h. tit.* Ait itaq; Paulus: *Quod pendet*, h. e: quod eſt in ſuſpenſo, fortè propter conditionem nondum exiſtentem, aut ubi quid aliud expectamus: *non eſt pro eo, quaſi ſit*, hoc eſt, pendente conditione, quod ſub ea debètur, non poteſt verè debitum dici; vel ubi aliquid expectatur tanquam futurum, illud nondum eſt, nec ejus determinata veritas. Effectus enim conditionis, ejus ſcilicet quæ in futurum concipitur tempus, eſt, ut ſuſpendat vel differat obligatio-

nem

nem in aliquem casum; & pendentia à futuro eventu, non habentur ut pura vel præsentia; ac de futuris contingentibus non est determinata veritas. Sic ubi sententia, præsertim definitiva, lata est, & ab eo appellatio debito tempore interposita, sententia ea adhuc pendet, nec potest dici revera esse; seu non est pro eo quasi sit, donec ea sententia fuerit confirmata. Potest enim fieri, ut etiam ibi reformetur; & propterea pendente appellatione, omnia in eo statu manere debent, quo tempore pronunciationis fuerunt *l. appellatione 3. C. de appellat.*

AD L. CXXX. aliàs CLXXX.

Factum à judice, quod ad ejus officium non pertinet, ratum non est.

FActum à judice *sive magistratu*, quod ad ejus officium non pertinet, *h.e. in quo judex vel magistratus officij sui limites excessit*, ratum non est: *h. e. nullius est momenti, non debet servari.* Et dum affectat, quod ad suum officium non pertinet, meritò judex pro privato censetur *Dd. in l. fin. de jurisdict.* Convertit cum hac regula, quod Pontifex dixit: Ea quæ fiunt à judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt. Sic judici extra territorium jus dicenti, impunè non paretur *d. l. fin. de jurisd.* adeoq; si quis ei non pareat, propterea non potest puniri, neq; cogitur ei parere. Sic si quem judex absq; causæ cognitione, vel etiam extra judicium, aut non servato juris ordi-

ordine, possessione sua ire, vel decedere jusserit, quia ad officium ejus id non pertinet, perinde est, ac si privatus id fecisset, ideoq; ei non est parendum. Et si quis ita cedere coactus est, restitutionis remedium etiam contra judicem, contra officium suum agentem, intentare poterit *Felin. in c. cum ordinem. de rescript. Abb. in c. 2. de restit. special. Mynsing. resp. 23. num. 28. & seq. & resp. 83. num. 17. & seq.*

AD L. CXXXI. aliàs CLXXI.

Nemo obligatur ideo, quia recepturus est ab alio quod præstiterit.

CErta sunt genera obligationum, quibus velut vinculis ad dandum vel faciendum adstringamur *Dd. in rubr. oblig.* Non verò hæc ratio obligandi aliquem est, quod sit recepturus ab alio, quod præstiterit sive solverit. V. G. Titius Paulo debet centum, & rogat Cajum, ut suo nomine Paulo centum solvat, promittens se ipsi restiturum; Etiam hoc casu, si Cajus à Titio, quod præstiterit seu solverit pro ipso, possit repetere, tamen propterea Paulo Cajus non est obligatus, ut si nolit facere, hoc cogatur. Nemo enim ideo obligatur, quia recepturus est ab alio quod præstiterit, *h. l. n.* Et melius est non solvere, quàm solutum repetere *arg. l. 1. C. Quand. lic. unicuiq; sine judice.* Sic si Titius à colono vel debitore Sempronij centum, quæ Sempronius Titio debebat, sibi dari velit, ob id, quod idem debitor si solvat, facilè

facilè sit illud in solutum reputaturus Sempronio, aut ab eo mandati nomine recepturus; ratione caret propterea quod non habebat Titius debitorem Sempronij ex aliquo contractu, aut facto antecedente obligatum, ut eum (si modò alterius nomine solvere nolit) cogere possit. Sic si in fundo, qui communis est duorum, alter dominorum opus facit, ex quo aqua pluvia vicino nocet; alter non facit; hic qui non facit, non tenetur aquæ pluviæ arcendæ actione, ut opus restituat, quod actione communi dividundo recepturus est à socio: quia nemo ideò obligatur, quod adversus alium ipsi competat actio, qui forsan etiam non est solvendo *l. supra iter alienum 11. §. 2. de aq. pluv. arc.*

AD L. CXXXII. aliàs CLXXII.

In contrahenda venditione, ambiguum pactū contra venditorem interpretandum est; ambigua autem intentio accipienda est, ut res salva actori sit.

HUjus legis duo sunt capita. In priore docet 1. Paulus, *In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum esse.* Per pactum ambiguum intelligit conventionem contractui adjectam, pluribus modis posse accipi: sed in emtione venditione adjectum pactum, contra venditorem interpretandum esse, hoc est, conventionem sive legem ambiguam adjectam venditioni, nocere potius venditori quàm emtori,

tori, ut ait Pomponius *in l. cum si l. venditionis 33. de contrah. emt. l. Labeo 21. de contrah. emt.* Id quod etiam in locatione obtinet, ut pactionem obscuram vel ambiguam ei qui locavit, nocere adfirmemus: eamq; generaliter in omnibus contractibus contra eos in quorum potestate fuit, legem apertius scribere interpretemur *l. veteribus 35. de pact.* Si igitur venditor in rei traditione hæc verba proferat, stillicidia, ut nunc sunt, ita sunt, id significare videtur, impositam vicinis necessitatem stillicidiorum excipiendorum; non illud, ut etiam emtor stillicidia suscipiat ædificiorum vicinorum. Hic igitur pollicetur venditor sibi quidem stillicidiorum servitutem deberi, se autem nulli debere *l. si arborem 17. §. hæc lex de serv. præd. urb. l. cum in lege, de contrah.*

2. In altero capite *hujus legis* Paulus ait: *Ambiguam intentionem ita esse accipiendam, ut res salva actori sit.* Intentio hic accipitur pro quavis petitione Actoris in judicio, *ut in l. si quis ff. de judic.* Illis itaq; verbis monet, pro Actore ambiguam ipsius intentionem accipiendam esse, ut res salva sit actori, ne judicia videlicet reddantur elusoria *l. solemus. de judic. Gail. 1. obs. 61.*

AD L. CXXXIII. aliàs CLXXIII.

In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non tantum quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant.

Qui-

QUibusdam actionibus persequimur solidum, 1.
quod nobis debetur: quibusdam non ultra reus condemnari potest, quàm quatenus facere potest *§. item si de dote Instit. de act.* h. e. quemadmodum interpretatur Julianus, ut ejus ratio habeatur, ne egeat. In quo genere sunt hi ferè: Socius, parens, patronus, patrona, liberiq; eorum & parentes: item maritus de dote: miles qui sub armata militia stipendium facit. Is quoq; qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest, condemnatur, *l. sunt qui cum §. seq. de judic.* Hi in solidum non conveniuntur, sed tantum in id quod facere possunt *l. Divus Pius 27. h. tit. l. sunt quidam 16. cum 3. legib. seqq. de judic.* Subjicitur in fine legis, *ne egeant*, h. e. ne victus vestitusve eis desit *d. l. Divus pignus, ubi dictum.* Durum enim & inhumanum illud videbatur, si filius ita patrem emungeret, cui vitam debet. si libertus ita patronum exigeret, à quo libertatem, rem inæstimabilem accepit. Si uxor maritum, cum quo omnis vitæ consortium, divini & humani juris communicationem habet, ita premat, ut eum inopem famelicumq; relinquat. Tantundem est de milite, qui sui capitis periculo pro Rep. vigilat, ut omnes in tranquillitate & otio simus. Et quidem hoc beneficiū in cæteris personale est, sic ut ad heredes non transeat. In socio verò causæ magis est, quàm personæ §. *sed si quis Instit. de act.*

AD § 1.

Cum verbum restituas *lege invenitur, etsi non specialiter de fructibus additum est; tamen etiam fructus sunt restituendi.*

2. SEntentia *hujus* §. est. Quando quis condemnatur ad restitutionem alicujus rei, tum non sufficere ut res restituatur, verùm oportere rem restitui unà cum fructibus, & omni utilitate, quam habuisset is qui rem amisit, si eam non amisisset *l. videmus 38. §. in Fabiana 4. de usur.* Nam verbo restitutionis omnis utilitas actionis continetur. Atq; ita generaliter restituere is videtur, qui id restituit, quod habiturus esset actor, si controversia ei facta non fuisset *l. restituere 74. de verb. sign.*

Ad § 2.

Unicuiq; sua mora nocet; quod & in duobus reis promittendi observatur.

3. VIs & effectus moræ in eo est, ut principalem obligationem augeat, tum ad id quod interest. Eoq; casu, si plures conveniri possint (ut in reo principali & fidejussore) nunquam tamen ex mora per unum eorum commissa poterit alter in duriorē causam conveniri, sed semper mora sua cuiq; est nociva. Est n. mora facti *l. mora. de usur.* & personalis, ita ut meritò in autorem suum perpetuò redundet, quemadmodum delicta, cum alioqui & mora sit quoddam veluti delictum *l. Stichū §. tametsi, de solut.* & ludificatio adversarij,

quæ

quæ nec lucro debet esse cuiquam, nec in alterius quoq; injuriam cedere. Adeò autem mora suum auctorem sequitur, ut ne quidem inter duos reos alterius mora noceat alteri, ut Ulpianus *hic* scribit. Idem traditur *in l. mora 32. §. pen. de usur* his verbis: si duo rei promittendi sint, alterius mora alteri non nocet.

AD § 3.

Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

FActo multis modis committitur dolus, & inter alios, calumniosa actione: unde Julianus *in h. l.* dicit: Dolo facit, qui petit quod restiturus est. Et ideo exceptio doli potest opponi ei, qui quid petit ab alio, cui idem postea cogitur restituere. Concordia *c. dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem de reg. jur. in 6.* Dicitur ille dolo facere: quia citra æquum reo est molestus, eumq; si exceptionem incautus post habeat, callidltate sua circumvenire machinatur. Cæterùm tum demum locum habet hæc regula: quando quis id petit, quod restiturus est, sc. ei â quo petit, non si alij *l. si socer 44. §. pen. ff. solut. matrim.* Sic in judicio possessorio, si quid id petit, quod in judicio petitorio restituere cogitur, veluti ubi reus confestim dominiũ suum probat, aut actoris jus nullum ex dolo facit, & propterea non obtinet *l. si quis ut in possess.* Quod tamen in judicio recuperandæ non obtinet, ubi quis per vim possessione est dejectus: ibi enim qui vim alteri intulit 4.

tulit, non tantùm restituit, sed etiam dominium tum amittitit *l. si quis in tantam c. unde vi.*

AD L. CXXXIV. aliàs CLXXIV.

Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur.

1. Conditionis quæ actui & dispositioni alieni adjici solet, non una est ratio; alia enim ex eventu dependet, qui expectandus est: alia sic est concepta, ut in potestate nostra consistat: cujus implendæ si qua in nobis facultas est, ipsa potentia faciendi factum repræsentat *h. l. n.* Hinc consequenter sequitur: si quis potuit facere, ut conditio extaret, & non fecit, conditionem pro impleta haberi. Et huc pertinet quoq; quod supra dictum: Quoties per eum, cujus interest conditionem non impleri, fiat, quo minus impleatur, perinde haberi ac si impleta conditio fuisset *l. in jure 121. sup. eod.* Conditionem quippè extitisse arbitramur, ubi potuit quis facere, ut esset, & non fecit. *l. si quis servo 84. de legat. 2.* Sanè si conditio fortè est difficilis aut ardua, ea pro impossibili quodammodo habetur, nec videtur ei posse parere, atq; sic etiam non potest pro impleta haberi. Qui enim fecit, quod facere potuit, licet non fecit, quod facere debeat, excusatur *l. qui commeatus 14. de re militari.*

AD § I.

Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.

Fertilè

FErtile & plurimi usus illud in jure axioma, quod privatio præsupponat habitum *l. decem de verb. oblig.* In quam rem incidunt pleræq; regulæ, & hoc ipsum Ulpiani responsum. Quod quis, si velit habere, non potest, repudiare non potest. *h. l. n.* Nam, ut idem Ulpianus ait: Ejus est non velle, qui potest & velle, *l. 3 sup. eod.* Atq; ita etiam, qui non potest adire hereditatem; nihil agit, si dicat, se eum repudiare, vel nolle adire. Is enim tantùm repudiare potest, cui jus quæsitum est. Et jus non quæsitum repudiare non potest *l. si ita 45. de legat. 2.* 2.

AD L. CXXXV. aliàs CLXXV.

In his, quæ officium per liberas fieri personas leges desiderant, servus intervenire non potest.

HOc dicit regula: Ubi quid secundum leges est expediendum per liberas personas, sive 1.
homines liberos, ad id servum non admitti. Quia servi civilibus officijs non funguntur *l. cum Prætor 12. §. pen. de judic.* Sed quod ad jus civile attinet, habentur pro nullis *l. quod attinet 32. h. tit.* Hanc ob causam servus Reip. causa abesse non potest, *l. ult. h. tit.* nec potest esse judex *d. l. cum Prætor.* non potest esse tutor, *§. servus Instit. Qui testam. tut. dari poss.* Non potest esse testis, nec pro alio postulare *l. quoniam 11. C. de testib.* aut aliud munus civile exercere *l. 2. sup. eod.*

AD § 1.

Non debeo melioris conditionis esse, quàm Auctor meus, à quo jus in me transit.

2. AUctorem dicimus eum, à quo rem vel jus aliquod consequimur. Et ita *hic* & alijs multis in locis, auctor pro venditore accipi debet, à quo nihil plus juris ad nos transire potest quàm ipse habet. Quis enim possit transferre in alium, quod ipse non habet? Et hinc est phrasis illa, Auctorem laudare, h. e. nominare venditorem à quo rem emeris *l. 6. §. sit ibi. de act. emt. l. 2. C. de in litem dando.* Et sic quando quis convenitur actione reali ob aliquam rem, conventus laudat & nominat auctorem suum, seu denunciat ei litem ad eum effectum, ut possit contra eum habere recursum de evictione *l. emtor C. de evict. Myns. 3. Obs. 24.* Præterea quod hic dicitur de auctore, habet locum & in herede, & in legatario, & quovis alio, qui jus aliquod in alium transferre vult, *l. absurdum §. fin. h. tit.* ubi de legato respondit Ulpianus: Absurdum est, plus juris habere eum, cui legatus sit fundus, quàm heredem aut ipsum testatorem, si viveret *& l. nemo 166. h. tit.* ubi Paulus: Nemo plus commodi heredi suo relinquit, quàm ipse habet. Ratio hujus regulæ est: quod nemo plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet *l. nemo potest 54. h. tit.*

AD L. CXXXVI. aliàs CLXXVI.

Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè fieri possit, ne occasio sit majoris tumultus faciendi.

Cum

Cum seditione nihil sit in Republ. inutilius, nihilq; magis perniciosum; sanè ejus præcavendæ consilium simul & rationem hoc loco proponit JCtus: Nimirum, non esse singulis, h. e. privatis hominibus quicquam permittendum, quod publica magistratuum authoritate sopiri possit: ne per hoc occasio detur majores in populo tumultus concitandi, ac graves turbas per privatos homines movendi. Tumultus enim populi tutius est publicè sedari, per justa imperia, quàm per privatas seditiones, quibus nihil potest esse rebus publicis perniciosius. Ergò quod quis potest per magistratum, id non potest per se, sed ei hoc facere prohibitum est; non tantùm ne occasio sit majoris tumultus faciendi *ut in h. l. n.* sed etiam ne pœnis propterea per leges constitutis fiat obnoxius. Huc pertinet decretum D. Marci, quod ita habet. Optimum est, ut si quas te putas habere petitiones, actionibus experiaris; interim ille in possessione debet morari: tu petitor es. Et cum Martianus diceret, vim nullam feci: Cæsar dixit, tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur: Vis est & tunc, quoties quis id quod sibi deberi putat, non per judicem exposcit *l. pen. ad L. Jul. de extat. 13. Quod met. caus.* Hinc Impp. Severus & Antoninus, creditores, quibus pecunia non est reddita, disertè jubent, ut possessionem fundi oppignorati autoritate præsidis adipiscantur, quantumvis ex lege conventionis possessionem istam propria au- 1.

thoritate ingredi eo casu liceat. *l. 3. C. de pignor.* Quò referri etiam potest, quod Callistratus ex rescripto D. Marci refert, eum jus crediti amittere, qui id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit, sed ipse invito debitori aufert, *d.l. extat. 13. quod met. caus.* Hinc si probatus fuerit, rem ullam debitoris non ab ipso sibi traditam, sine ullo judice temerè possidere, eumq; sibi jus in eam rē dixisse, crediti non habebit *d. l. pen. ad L. Jul. de vi priv. & d. l. extat.* Sic si quis rem suam propriâ authoritate per vim occupaverit, is cogitur possessionem eam restituere, & dominium ejus rei amittit: sin verò alienam rem occupavit, eam & restituere cogitur, & similiter æstimationem præstare, *§. recuperandæ. Instit. de interd. & l. si quis in tantam C. unde vi.*

2. Regulariter itaq; nemo sibi ipse jus dicere potest. Nam in certis casibus hoc etiam est permissum. Sic namq; cuivis liberum est, obsessorem viarum, furem nocturnum in agris, etiam judice non adito, interimere; quoniam Impp. hoc specialiter permiserunt, ne quisquam in periculo vitæ constitutus, rationem defendendæ salutis sibi denegatam esse putaret, *l. 3. de just. & jure l. ait Prætor 10. §. si debitorem 16. Quæ in fraud. cred. l. 3. §. eum igitur. de vi & vi arm.* Sic debitor fugitivus capi potest, unà cum rebus quas secum portat. *d. l ait Prætor.* Sic quilibet proprià autoritate potest capere homicidas, & alios malefactores, ut à

ut à judice competenti debita pœna afficiantur *l. generali. ubi Bartol. C. de Decur.*

AD § I.

Infinita æstimatio est libertatis, & necessitudinis.

HAc lege ostenditur, libertatem esse inæstimabilem *l. 106. eod.* libertatem sc. personarum, quæ servituti opponitur: illa libertas est inæstimabilis. Deinde etiam dicitur infinita æstimatio necessitudinis, h. e. necessitudo veluti jus agnationis & cognationis, itemq; adfinitatis *l. fin. de just. & jure.* non potest æstimari: & ita nullo pretio fieri potest, ut frater mihi non sit frater; soror mea mihi non sit soror. Jura quippe sanguinis nullo jure civili dirimi possunt *l. jura sanguinis 8. eod.* 3.

AD L. CXXXVII. aliàs CLXXVII.

Qui in jus, dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet.

IN omni successionis genere est usitatum, ut seu universalis juris quisquam sit successor, seu rerum singularium, semper transeat in eum jus, cum sua causa *arg. l. traditio de acq. rer. dom.* Et huc spectat hæc regula: *Qui in jus dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet.* Sed cum hic non de solo loquatur, qui in jus succedit; sed etiam de eo, qui in dominium; dicendum est, hanc regulam ad utramq; successionis speciem, adeoq; non solum ad juris universi, sed etiam ad unius 1.

R 4 alicu-

alicujus corporis successorem pertinere. Nam qui in jus alterius succedit, est successor universalis. Cum quo consentit illa regula; Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille uti debet *c. qui in jus Ext. eod.* Qui verò in dominium succedit alicui, est particularis, seu rerum singularum successor, uti emtor, donatarius, legatarius &c. Et sic si quis rem, domum aut fundum singulari privilegio, puta, immunitatis, donatum emit, vel ex donatione aliave causa accepit, is & id privilegium retinebit *l. omnia 35. C. de Episc. & Cler.* modò illud jus rei adhæreat, & non sit personale seu privilegium aut beneficium certæ personæ indultum: tunc enim cum persona extinguitur *l. 1. §. & datur de aq. quotid. & æst.* Quia privilegiæ quæ personæ sunt, nec ad heredem, nec ad alium quemvis successorem transmittuntur, *l. privilegia h. tit.* Et sic vicissim obligatio personalis non sequitur fundum, nec ejus possessorem *l. ult. §. ult. de contrah. emt.*

AD § I.

Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

2. NEmo videtur dolo exequi, h. e. nemo dolo petit. Exequi enim hic est petere. Executio enim est petitio *l. in executione 85. in pr. de verb. oblig.* Et nemo videtur dolo exequi, qui ignorat causam cur non debeat petere, h. e. qui petit, quod ignorat esse solutum vel remissum, non potest

test de dolo accusari, seu non potest exceptione doli removeri *l. 2. §. & generaliter de doli mali & met. except.* V. G. Heres post mortem antecessoris invenit in hereditate chirographum, quo Titius fatetur, se defuncto debere centum. Sed ea centum antea Titius solvit, vel remissa ipsi sunt: heres si Titium in jus vocat & petit centum; quia probabiliter ignorat causam, solutionem sc. vel remissionem, ob quam rem non debeat petere: qui enim in alterius locum succedit, justam habet ignorantiæ causam, an nimirum quod petitur, debeatur *l. qui in alterius* 42. *h. tit.* Propterea non potest exceptione doli mali submoveri; sed Titius cogitur probare centum vel soluta, vel remissa esse. Sanè si id probaverit Titius, & heres nihilominus perseverat in petendo centum, à dolo malo non excusabitur *d. l. 2. §. circa primum.* Per contrarium, inficiatio non nocet ei, qui negat se debere, quod adhuc incertum est, an debeat *l. non potest improbus* 99. *h. tit.*

AD L. CXXXVIII. aliàs CLXXVII.

Cum principalis causa non consistit, plerumque nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

ACcessorium sequitur naturam sui principalis *c. accessorium Ext. eod.* Nam quemadmodum una eademq; res diverso jure censeri non potest, *l. eum qui de usucap.* Sic necesse est, ut duabus rebus invicem unitis, altera in alterius indolem commigret: jam verò quia principale venit ma-

ximè in considerationem *arg. l. quæritur de stat. hom.* fit, ut ei tanquam digniori concedat accessorium, & in ejus naturam commutetur *§. si tamen alienam Inst. de rer. divis.* Hinc consequens est, ut principali corruente, corruat & accessorium: Unde Ulpianus hoc loco: *Cum principalis causa non consistit, plerumq; nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.* Sententia itaq; hujus regulæ hæc est: Quod si principale corruit, accessorium quoq; & reliqua quæ sequuntur, corruere necesse esse. Sic matrimonio non subsistente, nec dos, nec donatio propter nuptias valet: neq; enim dos sine matrimonio esse potest, *l. 3. de jure dot.* Sic servitutes prædiorum non sunt, nisi adsint prædia quibus debeantur: quia servitutes prædiorum dicuntur, quod sine prædijs consistere non possint *l. 1. §. 1. comm. præd.* Sic si non consistit obligatio Rei principalis, vel civilis, vel saltem naturalis, nec fidejussio & fidejussor, qui accessio est principalis obligationis, consistit *l. fidejussoris 16. in pr. & §. fidejussor de fidejuss.*

AD L. CXXXIX. aliàs CLXXIX.

In obscura voluntate manumittentis favendum est libertati.

SEntentia legis est: si ex testamento non satis patet, sed obscurum est, utrum manumissio facta sit, nec ne, favendum est libertati, seu pro libertate pronunciandum, atq; ita manumissionem factam, dicendum est. Id enim summus

favor

favor libertatis, & odium contra servitutis meretur, ut accedente ad alteram partem favore, cedant in conflictu & vincantur odia *l. cum inter C. de liber. caus.* Exempla sunt *in l. cum inter veteres 14. C. de fideicomm. libert. & in l. si fuerit. §. fin. de reb. dub.*

Ad L. CXL. aliàs CLXXX.

Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

QUod jussu alterius solvitur, *h. e. quod solvitur altero jubente seu mandante.* pro eo est, quasi ipse solvisset, *h. e. proinde est, ac si ipse solvisset* Ratio est; quia qui per aliū quod facit, perinde est, ac si ipse fecisset *c. qui fecit 82. Ext. de reg. jur. in 6.* & quia nihil refert, mihi nummî solvantur, an ei, cui ego jusserim solvi. Et hinc si Titius debet Sempronio centum, & Paulus jussu Titij solvit illa centum Sempronio, tum perinde est, ac si Paulus Titio solvisset; & ita docet Paulus *in l. cum jussu 64. de solut.*

Ad L. CXLI. aliàs CLXXXI.

Si nemo subijt hereditatem, omnis vis testamenti solvitur.

SI nemo subijt, *h. e. adijt* hereditatem, *sive si heres scriptus in testamento, hereditatem non adijt.* Omnis vis testamenti solvitur, h. e. totum testamentum fit irritum. Pendent enim cætera, quæ in testamento scripta sunt, ex heredis institutione *l. inter cætera. de liber. & posth.* quæ totius testa-

menti

menti caput est ac fundamentum §. *ante heredis Inst. de legat.* Et ita generaliter traditur; Ea quæ in testamento relinquuntur, si ex testamento non adeatur hæreditas, non valere *l. ea quæ 14. C. de fideicomm.* Sic è contra, cum semel adita est hereditas. omnis defuncti voluntas rata constituitur *l. si patroni 54. §. qui ad SC. Trebel.*

Ad L. CXLII. aliàs CLXXXII.

Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

Quemadmodum quæ per rerum naturam fieri non possunt, impossibilia habentur; ita quoque quæ jure prohibita sunt, impossibilia esse censenda sunt, *l. filius de condit. instit. l. si in emtione §. 2. de contrah. emt.* Non ergò solùm obligationis inducendæ ratio, sed etiam rerum qualitas & natura in obligatione deductarum consideranda est *h. l. n.* Cum itaq; res nullius, in patrimonio commercioq; hominum non sunt, seu à nullo hominum acquiri possunt, veluti sunt ædes sacræ, religiosæ, sanctæ §. *nullius Inst. de rer. divis.* ob id nulla obligatio valet efficere, ut alicujus fiant, h. e. hæ res non possunt in contractum deduci; ut ex obligatione, quæ ex contractu nascitur, petantur; sed contractus est nullus: & nulla ex eo contractu oritur obligatio, nulla ex obligatione datur actio. Quod autem res sacræ pro redimendis captivis ac publica fame diluenda, similiter ut Ecclesiæ debita exsolvantur, aut ubi

ubi evidens utilitas exposcit, alienari possunt *l. Sancimus 21. & Auth. praeterea C. de SS. Eccl.* illud huic regulæ non adversatur: quippe quod hæc alienatio valeat, non tam privatorum obligatione, quàm lege necessitatis tempore id concedente: atq; ita id non facit regulam ab officio alienam, sed est speciale. *Montan. ad h. l. n.*

AD L. CXLIII. aliàs CLXXXIII.

Etsi nihil facilè mutandum est ex solennibus, tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est.

NIhil facilè mutandum est ex solennibus, *h.e. sententia judicis non leviter debet mutari*: quia judex postquam sententiam dixit, præsertim definitivam, functus est officio suo, & judex esse desinit *l. judex 55. de re judic.* sed tamen quoniam benignitatis majorem, quàm stricti juris, rationem ducere oporteat *l. placuit C. de judic.* interdum propter æquitatem ei, qui sententiam passus est, subvenitur; veluti si citatus non respondit, & in contumaciam ejus pronunciatum est: confestim autem pro tribunali adhuc judice sedente comparet, & se audiri petit. Hic condemnatus in integrum restituitur, quod non sua culpa, sed parùm exaudita voce Præconis abfuit *l. pen. de in integ. restit.* ubi hæc regula, hoc veluti exemplo declaratur,

AD L. CXLIV. aliàs CLXXXIV.

Vani timoris justa excusatio non est.

Vanus

Vanus timor est timor inanis, seu stultus, & ratione carens, sive impotens metus. Ejusmodi timoris & metus excusatio nulla est, h. est, talis timor & metus vanus & inanis non excusat, seu non æstimatur ut metus, sc. ut restitutioni in integrum locus sit. Nam ut edictum, quod metus causa competat, necesse est, ut adsit, non quilibet timor, sed majoris malitatis: seu metus vani hominis non sufficit, sed requiritur metus, qui in constantissimum cadat, *l. 5. & 6. Quod met. caus.* Et hoc est, quod ajunt; Prætorem de minimis non esse solicitum *l. Sejo ff. de restit. in integ.* Illud verò ex sententia Dd. adnotandum est, quod licet hæc actio, quod metus causa non detur pusillanimi pro vano timore; datur actio tamen de dolo contra metum inferentem *arg. l. item si obstetrix in fin. ibi data opera ff. ad L. Aquil. gl. not ab. in c. super hoc. in verbo resignationis. Ext. de enunciat.*

Ad L. CXLV. aliàs CLXXXV.

Impossibilium nulla est obligatio.

Impossibile non id dicitur solùm, quod per rerum naturam fieri non potest, sed hoc quoque in jure impossibile censetur, quod per leges fieri non potest. Unde etiam stipulationem istam ceu impossibilem jura respuunt, quæ contra bonos mores est, vel etiam juris dispositioni repugnat, veluti si quis sororem nupturam sibi stipulentur *l. si stipulor 35. §. 1. & l. continuus 137. §. cum quis ff. de verb oblig.* Nam quæ

facta

facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, ut Papinianus loquitur *in l. filius 15. de condit. & demonst.* Si ergò cōtractui ejusmodi impossibile adjicitur, ejus nulla est obligatio, *h. l. n.*

Ad L. CXLVI. aliàs CLXXXVI.

Nihil peti potest antè id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit. Et cum solvendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest.

Duo sunt hujus legis capita. In primo docet, 1. obligationem interdum esse puram, & tamen non statim posse ex ea peti quod debetur, sed tempus aliquod expectandum, quod tacitè videtur adjectum, cum per rerum naturam solutio aliàs fieri non potuerit, *h. l. nost. in princ.* V. G. Stipulatur quis quod in utero est, aut fructus futuros, aut domum ædificari; & ita stipuletur purè, absq; adjectione diei & conditionis; & tamen non statim petere potest, quod debetur, etjam præsenti die *sec. l. in omnibus 14. h. tit.* Sed necesse est, ut expectetur tempus, cum per rerū naturam, qui stipulatus est, præstari possint *l. interdum 73. in pr. de verb. obl.* Sic si stipulatus fuero ex fundo centum amphoras vini, expectari debet, donec nascatur, & si naturam sine culpa promissoris consumtū sit, rursus expectare debet, donec iterū nascatur & dari poterit *l. inter stip. 83. § sacrā. de verb.*

de verb. oblig. Atq; ita interdum pura obligatio reipsa dilationem capit, & tempus tacitè adjectum est *d. l. interdum 73. de verb. oblig.* In altero capite ostendit JCtus, ex stipulatione aliove
2. contractu, cui tempus palàm & expressè additum est, agi non posse, nisi tempus venerit, imò nisi totum præterierit. V. G. Si quis ita stipuletur, decem Joachimicos primo Kal. sept. dare spondes? Quod enim in diem stipulamur, statim quidem debetur, sed peti priusquam dies venerit, non potest, ac ne eo ipso quidem die, in quo stipulatio facta est, peti potest, sed expectari debet, donec totus dies præterierit: quia totus is dies arbitrio solventis tribui dicitur. Neq; enim certum est eo die in quem promissum est, datum non esse, priusquam is præterierit *§. omnis instit. de verb. oblig.* Sic qui hoc anno aut hoc mense decem dari stipulatus sit, nisi omnibus partibus præteritis anni vel mensis non rectè petet *l. qui hoc anno 42. ff. de verb. oblig.* stipulationis enim hujus dies cessit quidem, sed nondum venit; hoc est, ex hac stipulatione decem quidem debentur, sed non possunt peti, antequam tempus totum præterierit *l. cedere diem 213. de verb. sign.*

AD L. CXLVII. aliàs CLXXXVII.

Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

SEntentia legis est: Liberos intelligitur reliquisse, qui uxorem prægnantem reliquit. Exemplum

plum tale sit, Legatū est ita alicui, quandocunq; liberos habuerit. Si igitur legitima uxore prægnante relicta decesserit, intelligitur expleta conditione decessisse, & legatum valere, *l. is cui 18. Quand. dies legat.* modò postumus natus fuerit post mortem mariti. Nam qui mortui nascantur, pro non notis habentur, *Accurs. ad h. l. nost* neq; liberi appellantur *l. qui mortui 129. de verb. oblig.* Atq; ita legatum deficit, si prægnans mulier abortum fecit *l. uxoris abortu 2. & l. seq. C. de posth. hered. instit.* Econtra, qui prægnantem uxorem reliquit, quæ postea partum vel fœtum edidit, sine liberis non decessit. Quoniam is qui in utero est, tum, quando de ipsius commodo quæritur, perinde habetur, ac si in rebus humanis esset *l. qui in utero 7. de stat. hom.* Exemplum hujus regulæ etiam dari potest *ex l. 1. §. 1. de vent. in poss. mitt.* ubi venter ob solam nascendi spem in hereditatis possessionem mittitur.

AD L. CXLVIII. aliàs CLXXXVIII.

Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum est.

SAnè in statutis, in ultimis voluntatibus, in testibus, & in instrumentis in id incumbendum est, ut pugnantia per distinctionem concilientur *Decius ad h. l. nostr. n. 4.* At si pugnantia hæc ejusmodi sint, ut nullo distinctionis fœdere conciliari possint, tum demum regulæ huic locus est, ex ea ratione quod contraria simul stare non 1.

possint. Veluti, si testator primum jusserit fundum in familia retineri; ac deinde jusserit eundem alij vendi; tunc nihil valet ex ijs quæ scripta sunt. Sic si quis hoc modo heredem scripsisset: SI Titius heres erit, Sejus heres esto: Si ejus heres erit, Titius heres esto: hanc institutionem inutilem esse scribit *in l. si Titius 16. de condit. instit.* Sic quoq; testis, qui sibi in depositione est contrarius, in totum non admittitur, sed ejus testimonium rejicitur *l. 2. de testib. c. licet causam. Ext. de probat.* Nisi errore lapsus correxit se in continenti, h. e, antequam judex seu commissarius & Notarius invicem discedant. Et potest testis se in continenti corrigere, ubi dicit, se antea rem non percepisse; & eo casu posterius ejus dictum valebit *arg. l. Stichus 21. de manum. testam.* Sic hujusmodi contrarietatem in instrumentis fidem scripturæ derogare, ostendit *l. scripturæ 14. C. de fide instrum.*

Ad § I.

Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.

2. QUæ rerum natura prohibentur, *h. e. quæ per naturam fieri non possunt, seu quæ natura non admittit. V. G. ut major sive senior sit filius quam pater.* Ea nulla lege confirmata sunt, *h. e. ut valeant, lex nulla facere potest.* Ars enim naturam imitatur quam potest, proximè *§. minorem Instit. de adopt.* Unde nec adoptionis ratio patitur, ut

major

major à minore adoptetur; aut ut is tutelam gerat, qui rebus suis ipse nequeat superesse §. *item, de excusat. tut.* nusquam probatum est.

AD L. CXLIX. aliàs CLXXXIX.

Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi apposita judicis authoritate creditur: nam quod animi judicio fit, in eo tutoris authoritas necessaria est.

PUpillus nec velle, nec nolle in ea ætate creditur: h. e. neq; scire, neq; discernere talis ætas potest, non magis quàm furiosus, *l. pupillus 9. de acq. hered.* Et propterea pupillus non potest velle, h. e. non potest pupillus hereditatem adire sine tutoris hereditate, quamvis lucrosa sit *l. obligari 9. §. hereditatem de auth. & consensu tut.* Non potest etiam pupillus nolle, h. e. non potest pupillus hereditatem quamvis damnosam repudiare. Quia cum velle non possit, neq; etiam nolle potest. Et nolle hereditatem adire non videtur, qui non potest adire, *l. nolle 4. de acq. hered.* Et is potest repudiare, qui & acquirere potest *l. 15. potest 18. eod.* Rationem addit JCtus *in h. l. n.* Nam, inquit, *quod animi judicio fit*, h. e. in quo animi judicium requiritur, ut cognoscatur an expediat vel non: *ibi tutoris authoritas necessaria est*, ne sc. propter deficiens animi judicium pupillus lædatur. Sanè quando non est opus animi judicio, nec læsionis periculum subest, uti in aditione hereditatis, sed certò apparet, de utilitate rei, veluti

quando pupillus alium sibi obligat, tum autoritas tutoris non desideratur. Et sic pupillus aliàs sibi potest obligare, ipse verò alijs obligari non potest, nisi tutoris authoritas accesserit, *d. l. obligari 9.* potest quippe pupillus etiam sine tutoris authoritate conditionem suam facere meliorem, deteriorem verò non aliter, quàm cum tutoris authoritate *§. 1. Inst. de autor. tut.*

AD L. CL. aliàs CLXXXX.

Quod evincitur, in bonis non est.

SEntentia legis est, Quod in ea causa est, ut evinci possit, quamvis civiliter in bonis sit propter usucapiendi conditionem *l. bonorũ §. in bonis de verb. sign.* revera tamen & naturaliter seu pleno jure non est; aliud est enim in domino esse, aliud in bonis: nam hoc civile est, illud naturale *arg. §. in bonis & l. rem in bonis. de acq. rer. dom.* Quod igitur evincitur, *h. e. quod per sententiam nobis aufertur:* non est in bonis, *h. e. id non potest dici nostrum.* Nullam n. ibi possidentes evictionẽ, nec amittentes ad rẽ recuperãdam habemus actionẽ. Ac rem in bonis nostris intelligimus habere, quoties possidentes exceptionem, aut amittentes ad eam recuperandam habemus actionem, *l. rem in bonis 52. de acq. rer. dom.* Quoties possidentes exceptionem habemus, sc. quâ evictionem impediamus: amittentes habemus actionem ad rem recuperandam, h. e. habemus actionem, qua rem amissam possimus recuperare: nam & tum licet

licet res sit amissa, in bonis tamen nostris esse dicitur: quia qui actionem habet ad rem recuperandam, rem ipsam habere videtur, *l. is qui 15. eod. tit.*

AD L. CLI. aliàs CXCI.

Neratius consultus, an quod beneficium dare se quasi viventi Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur, respondit; non videri sibi principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse; quem tamen modum esse beneficij sui veliet ipsius æstimationem esse.

Etsi latissima beneficiorum Principis specialiter datorum interpretatio fieri debeat *l. 3. de constit. Princ.* tamen hæc juri consona est faciendæ interpretationis regula, ut ea personam non egrediantur; & exinde privilegium vivo homini datum, mortuo concessum non videatur *h. l. n.* Hac itaq; regula docet JCtus: Privilegium ab Imperatore concessum alicui, tanquam viventi, *h. e. quem vivere existimabat.* ei mortuo non competere, *h. e. privilegium illud certæ personæ datum cum persona extingui, & ad heredes non transire.* Nisi princeps beneficij sive privilegij sui modum talem esse velit, *h. e. interpretetur, ut sc. mortuo eo cui concessit, & heredes illo gaudere debeant.* Et hoc est, quod superius dictum: personalia beneficia & immunitates personarum, non egrediuntur personas, sed cum personis extinguuntur *l. in omnibus 68. h. tit.* Notandum quoq; *ex hac lege* est, ipsum

principem beneficia sive privilegia concessa à se interpretari: quod idem Paulus docuit *in l. ex facto 43. in pr. de vulg. & pupill.*

AD L. CLII. aliàs CXCII.

Ea quæ in partes dividi non possunt, solida à singulis heredibus debentur.

1. Quæcunq; per testatorem promissa talia sunt, ut dividi in partes sunt, transeunt pro portionibus ad heredes, ut suæ quisq; partis sit debitor *l. stipulationes non dividuntur. de verb. oblig.* Quæ vero talia sunt, ut dividi nequeant, ea singulos heredes in solidum obligant: Unde Marcellus hoc loco ait: *Ea quæ in partes dividi non possunt, solida à singulis heredibus debentur* Ea quæ in partes dividi non possunt, *h. e. res individuæ*, ut prædiorum jura, via, iter, actus, aquæ ductus; hujusmodi res solidæ à singulis heredibus debentur; & solidæ à singulis heredibus peti possunt *l. via 17. de servit. & l. heredes 26. §. 9. ff famil. ercisc.* Quod si res dividi potest; seu in obligationem deductum est, quod dividi potest, ut si decem, vel alia certa species promissa est, heredes singuli, pro hereditarijs tantum portionibus tenentur, ita ut suæ quisq; partis sit debitor, & solvendi partem suam liberetur. Hæres quippe defunctum repræsentat tantùm pro ea parte, pro qua est heres, *l. ad ea 157. in fin. eod.* Regulæ hoc addendum videtur; singulos quidem heredes in solidum teneri; sed eum qui solidum præstiterit, à cohe-

à coheredibus familiæ erciſcundæ judicio partes hereditarias conſecuturum *d. l. heredes 26.*

AD § I.

In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt, quàm tutius.

IDem traditur *in l. ſemper in dubijs 56. eod.* ubi hac de re quoq; dictum : ſc. in re dubia benigniorem interpretationem ſequendam eſſe; quod interpretationis genus Marcellus *in h. l. n.* ait & juſtius & tutius, h. e. tam æquius, quàm commodius atq; utilius. Nam & naturæ ratio hoc dictat, & ipſa rerum utilitas recti propè mater & æqui idem expoſcit, perindè ut tolerabilior eſt, qui lenitate peccat, quam qui crudelis eſt: hic culpa eſt, ibi tantùm negligentia.

AD L. CLIII. aliàs CXCIII.

Omnia ferè jura heredum perinde habentur, ac ſi contiuuò ſub tempus mortis heredis extitiſſent.

PRæterquam quod aditio heredem faciat eum, cui delata erat hereditas, cõjungit etiam momenta mortis teſtatoris, cum extremis aditionis; qua de re ita Celſus *hoc loco* : Omnia ferè jura *ſc. active & paſſive, ſive ſpectes commodum ſive incommodum*, perinde habentur, ac ſi ſub tempus mortis heredes extitiſſent : *h. e. protinus habentur, ſeu acquiſitio & aditio retrotrahitur, & jungantur tempora aditionis & mortis.* Ait verò Celſus *hic*; Omnia *ferè* jura. *Ferè* ideò, ut oſtendat hanc regulam in-

terdum vitiari, & perdere officium suum; ubi sc. datur casus exceptus; id quod fit in altera illa regula, qua dicitur, *hereditatem esse dominam, & vicem defuncti sustinere*, si eam cum *hac l.* contulerimus.

Ad L. CLIV. aliàs CXCIV.

Qui per successionem, quamvis longissimam, defuncto heredes exstiterunt, non minus heredes intelliguntur, quam qui principaliter heredes existunt.

Et si propriè is dicatur heres, qui ipse alicui proximè successit, nihilominus tamen & ulteriores quodammodo remotioris heredes esse intelliguntur. *l. heredis appellatio, de verb. sign.* V. G. Mœvio successit Titius; & rursus, post annos aliquot Titio Sempronius, ut qui cum hereditate Titij acceperit etiam (sed tacitè) hereditatem Mævij, idq; per interpositam personam, & (ut ajunt) per quandam veluti longam manum. Et sic hoc Modestini responsum intelligitur *h. l. nost.* Nam & heredis heres, & deinceps heredis appellatione continetur, ut ait Ulpianus *in l. heredis appellatione 65. de verb. sign.* Et hinc est, ut cum dicimus heredem teneri ex contractu defuncti; tum quoq; heredem heredis & ulteriores includamur *l. 1. C. ut actiones ab hered. & l. si plures ff. de, o.* Et ut heredi primo damus petitionem hereditatis, ut primi testatoris bona consequatur, ita quoq; eandem heredi dari *l. 3. de petit. hered.*

AD

AD L. CLV. aliàs CXCV.

Expressa nocent, non expressa non nocent.

HUjus legis sententia exponitur eleganti exemplo *in l. actus legitimi 77. eod. tit.* Quædam enim, ait ibi JC. in testamento si exprimantur, effectum nullum habent: quando si verbis legantur, eandem significationem habeant. Et quod in testamento diximus, etiam in pactis, in stipulationibus *l. eum qui 183. de verb. oblig.* & in contractibus *l. coiri ff. pro socio*, locum habent. Ratio regulæ est quod potius omnia solenniter acta præsumamus, quàm contra, *§. si scriptum Instit. de inutilib. stipulat.* Rectè autem Modestinus *in l. nonnunquam 25. de contrah. emt.* unde hæc lex desumta est, apponit vocabulum *Nonnunquam*: quo ipso significat, regulā hanc usquequaq; veram non esse, sed fieri aliquando, ut expressa prosint, non expressa noceant, *veluti in l. ult. C. de novat.* ubi novatio prætensa non potest, nisi contrahentes verbis declararint, se propterea convenisse, ut priorem obligationem novarent, *Zas. in l. 3. n. 11. & seqq. ff. de reb. cred.*

AD L. CLVI. aliàs CXCVI.

Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ; & ideò quædam ad heredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ personæ sunt, ad heredem non transeunt.

HOc loco privilegia & beneficia significant; Et quia ejusmodi immunitates & beneficia

interdum rebus dantur, interdum verò personis; ideo privilegia quædam sunt causæ, quædam verò personæ, ut Modestinus hic ait. Et rectè privilegia ita distinguuntur; quia alia ratio est privilegiorum quæ sunt causæ, & alia quæ sunt personæ. Nam ut ipse Modestinus subjicit; privilegia quæ sunt causæ, h. e. immunitates & beneficia, quæ in gratiam favoremq; causæ sunt concessa, ad heredem & alios quoscunq; successores transmittuntur: quæ verò sunt personæ, h. e. quæ certis personis sunt indulta, ea ad heredes non transeunt, sed unà cum persona extinguuntur, *l. in omnibus 68. & in l. Nevatius 151. h. tit.*

AD L. CLVII. aliàs CXCVII.

Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est; sed & quid honestum est.

SEmper in conjunctionibus, *h.e. in nuptijs*, non solum quod liceat considerandum est, sed & quod sit honestum, *h. e. quod ob solam honestatis rationem prohibetur.* Nam in nuptijs naturale jus & pudor spectatur, non civile jus *l. adoptivus 14. §. 2. de rit. nupt.* Itaq; si uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit, hæc non est quidem privigna tua, sed ab hujusmodi tamen conjunctione abstinendum est. Nam nec sponsa filij nurus est, nec sponsa patris noverca; honeratis tamen ratione ab hujusmodi nuptijs abstinendũ est *§. si uxor tua 10. Inst. de nupt. l. si qua mihi uxor.*

22. §.

22. 1. & 2. *de rit. nupt.* Sic jure civili licet ducere consobrinam §. *duorum Inst.d. tit.* sed hoc non est honestum: ac propterea jure canonico considerato naturale pudore ejusmodi nuptiæ prohibentur, *c. non debet. Ext. de consang. & affin. & Dd. in d. §. duorum.*

AD L. CLVIII. aliàs CXCVIII.

Neq; interdictio, neq; in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris, sive solvendo est, sive non est.

CUm aliàs regulare sit, ne quis alieno odio prægravetur. *l si quis 31. de inoffic. testam.* Sed factum suum cuiq; nocere debeat *l. factum 155. h. t.* consentaneum equidem est æquitati, ne quod tutor dolo fecit, pupillo, in cujus favorem etiam alia multa concessa sunt, *l. 1. de usur.* quicquam præjudicij adferat *h. l. n.* sed ipsi tutori noceat, *l. pupill. C. de his quib. ut indig.* Itaq; si tabulæ testamenti apud pupillum sint, & dolo tutoris desierint esse, in ipsum tutorem competit interdictum *l. pen. de tab. exhib.* Atq; hoc verum est, nisi quid ad pupillum pervenerit. *l. si dolo 24. si quis omiss. causa.* Nam si ex dolo tutoris locupletior pupillus factus sit, eumq; dolum in contractu tutor admiserit, pupillus ex eo tenebitur, sive solvendo tutor sit, sive non sit, *h. l. nost. l. sed & is in pr. de dolo malo.* Si verò dolus extra contractum à tutore admissus sit, pupillus aliter non tenetur, quā si solvendo tutor fuerit, *l. 1 Quand. ex fact. tut.*

Quod

Quod in lege dicitur, dolum tutoris pupillo non debere nocere, *neq; in cæteris causis*, hoc est, in delictis vel quasi.

AD L. CLIX. aliàs CXCIX.

Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit.

NOn potest dolo carere, *h.e. non caret dolo, seu non potest non contumax videri*, qui imperio Magistratus non paruit, *h. e. qui non obtemperavit jussui magistratus.* Et hinc sunt illa edicta prætoria: Si quis jus dicenti non obtemperavit, *h.e. si sententiæ definitivæ non paruit.* Item si quis in jus vocatus non erit; & talia multa. Ut itaq; jura excusatum habent eũ, qui jussu judicis, cui parere ipsum oportet, quid facit *l. videntur 167. §.1.h.* Ita vicissim eum excusatum non habent, qui imperio magistratus non paruit *h. l. nostra.*

AD L. CLX. aliàs CXVIII.

Qui in servitute est, usucapere non potest: nam cum possideatur, possidere non videtur.

QUi in servitute est, h.e. cum liber homo bona fide nobis servit, *l. homo liber 19. de acq. rer dom.* aut cum liber homo detinetur ut servus, *l. si quoq; 11. ff. Ex quib. caus. major.* Non enim qui in servitute est, idem quoq; est qui dicitur servus; aliud quippe est servum esse, & aliud esse in servitute. Ut aliud est, possessorẽ esse sive possidere, & aliud

aliud esse possessione *l. si quis ante 10. §. 1. de acquir. vel amitt. poss.* Et sic ait Ulpianus hoc loco: *Qui in servitute est, usucapere non potest*, h. e. non potest per usum seu possessionem capere, sive acquirere & suum facere, *l. aliud est capere 71. de verb. sign. l. cepisse 140. sup. eod.* Et ad usucapionem imprimis requiritur possessio: quia sine possessione usucapio contingere non potest *l. sine possessione 25. de usurpat. & usucap.* Et propterea etiam Ulpianus hic subjicit causam, cur qui in servitute est, usucapere non possit. *Nam cum possideatur*, inquit, *possidere non videtur*, h. e. quia ipse est in servitute, possidetur ab alio, ideoq; non possidet. Et quia ipse non possidet, possessionem non habet, quæ inprimis in usucapione est necessaria: ideoq; non potest usucapere *l. cum heredes 23. §. 1. de acq. vel amiss. poss.*

AD L. CLXI. aliàs CXIX.

Non alienat, qui duntaxat omittit possessionem.

Non alienat, h. e. non tenetur edicto de alienatione judicij mutandi causa facta, in id quod interest, alium adversarium nos non habuisse *l. 1. de alienatione judicij causa fact.* qui duntaxat omissionem, h. e. qui deserit possessionem, seu qui mavult re carere, quàm litigare: & verecunda cogitatio ejus, qui lites execratur, non est vituperanda, *l. 4. §. 1. d. tit.* secus est, si quis possessionem non omittit duntaxat, sed etiam in alium

alium transfert Improbat enim Prætor factum hujus, qui cum rem habere vult, litem ad alium transfert, ut modestum adversarium pro se substituat *d. l. 4. §. 1. & 2.* Sic si quis ob valetudinem aut ætatem, aut occupationes necessarias litem in alium transtulit, in ea causa non est, ut hoc edicto teneatur, cum ex hoc edicto doli mali mentio fiat *d. l. 4. §. 3.*

AD L. CLXII. aliàs CXX.

Nemo plus commodi heredi suo relinquit, quàm ipse habuit.

ILlud proprium est alienationi, ut nemo plus juris in alium transferat, quàm ipse habet *l nemo 55. eod.* Et hinc Paulus *hoc loco*: Nemo plus cōmodi heredi suo relinquit, quàm ipse habuit. E. G. miles vel alius absens Reip causa, rem aliquam cepit usucapere, & non potuit à domino conveniri, ut usucapio usurparetur, h. e interrumperetur. Postea heres militis, vel alterius, qui Reipub. causa absfuit, usucapionem complevit. Quæritur, an usucapio completa per heredem, restitutione in integrum rescindi possit? Et respondit Paulus *in h. l. n.* rescindendum esse usucapionem, cum alioqui miles, aut alius, qui Reip. causa absfuit, plus commodi videretur in heredem transferre, quàm ipse habuisset, *l item ait Prætor 31. §. hæc autem restitutio. Ex quib. caus. major.*

AD

AD L. CLXIII. aliàs CXXI.

Qui non facit quod facere debet, videtur facere adversus ea quæ non facit. At qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est.

UTi dolus ita etiam culpa, alia facti est, alia negligentiæ seu contumaciæ. Quas species, licet obscurius, & velut sub ænigmate complexus est hoc responso Paulus *h. l. n.* Paria sunt enim, vel omninò non facere, vel facere quidem, sed sic ut non oportet *l. 1. §. pen. ff. quod legat.* & econtra. Et perspicitur hoc loco etiam, culpam tam omittendo quàm committendo contrahi. Qui enim non facit, quod facere debet, is pœnam prohibitionis æquè meretur, atq; qui facit id, quod facere prohibitus est. Nam si quis non facit, quod facere debet, in culpa est; & rursus, si quis facit, quod facere non debet, itidem in culpa est. Et sic tutor tenetur, non tantum de ijs quæ non fecit, sed facere debuit, sed etiam de ijs quæ fecit, sed facere non debuit. Sic Venulejus ait, eum qui non patitur adportari ea, sine quibus iter refici non potest, non minus vim facere, quàm facit is, qui manifestè prohibet, ne iter reficiatur *l. 4. de itin. act. priv.*

AD L. CLXIV. aliàs CXXII.

Libertas omnibus rebus favorabilior est.

LIbertas *sc. personarum* est omnibus rebus favorabilior, *h. e. fovemus libertati magis, quam*

ulli

ulli alij rei. Adeoq; tantus est, ut servus communis, cui pro parte libertas data erat, totus liber fieret, & alteri domino, qui pro sua parte servum manumissum nolebat, etiam invito pretium suæ partis daretur, *ex constitutione Imp. Justiniani in l. unic. C. de comm serv. manum. & §. ult. Inst. de donat.*

AD L. CLXV. alias CXXIII.

Nemo alieno nomine lege agere potest.

1\. NEmo alieno nomine agere potest lege *h. e. nemo potest alieno nomine actus legitimos exercere,* quales sunt mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris &c *l. actus legitimi 77. eod. tit.* Actus enim legitimi idem sunt, quod legis actiones, h. e. solennes actus ex lege descendentes *Barnab. Briss. lib. 4. antiquit. cap. 20.* Aliàs lege agere dicimus, pro judicio experiri: at hoc significatu non semper verum est quod dicitur: Neminem alieno nomine posse agere lege, h. e. judicio experiri. Procurator enim alieno nomine agit ad mandatum domini. Et sic tutor & curator, pupilli & adulti nomine agunt, prolato tutorio vel curatorio. Et hodie alieno nomine rectè agit, ac reum etiam defendit, qui paratus est satisdare, vel cautionem præstare de rato & judicatum solvendo *l. qui proprio 46. §. qui alium de procurat. & tot tit. Inst. de satisdat.*

AD § I.

Temporaria permutatio jus provinciæ non immutat.

Permu-

PErmutatio temporaria *sive momentanea, vel ea quæ facti sunt*, non mutat jus provinciæ, *h. e.* 2.
non habet imperium in ea quæ sunt juris l. patre furioso. de his qui sui. Hinc consuetudo, in ista provincia recepta, non innovatur temporariâ permutatione, h. e. si semel aut bis contrarium eo loci observatum sit. Nam uti consuetudo tempore à lege definito certisq; actibus tacito populi consensu inducitur: ita non nisi contrarijs actibus, pariq; temporis intervallo per contrarium populi consensum tollitur, *arg. l. nihil tam naturale 35. eod. tit.*

AD L. CLXVI. aliàs CXXIV

Ubi non voce, sed præsentiâ opus est, mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo. Hic quidem & respondere potest.

UBi non opus est voce, *ut in stipulatione quæ* 1.
verbis fit, sed præsentia, *h. e. præsentis & intelligentis consensu.* Ibi mutus, si intellectum habet, potest videri respondere, *h. e. mutus qui judicio valet, habetur pro eo, ac si responderet.* Et idem in surdo, qui quidem respondere potest, habet locum: h. e. Surdus potest quoq; hujusmodi contractum, ubi verba de substantia non requiruntur, inire. Et sic mutus & surdus contractum emtionis & venditionis, locationis conductionis celebrare possunt. Possunt etiam nuptias contrahere. Sufficit enim hic consensus. Secus in contractu stipulationis; quia ibi verba requiruntur de sub-

stantia, & propterea mutus & surdus stipulari non possunt; quia mutus verba stipulationis proferre aut respondere, & surdus verba stipulantis aut promittentis audire non potest, *l. 1. de verb. oblig. §. mutum. Instit de inutilib. stipulat.*

AD § I.

Furiosus absentis loco est, & ita Pomponius libro primo epistolarum scribit.

1. FUriosus absentis loco est, h. e. furiosus non potest consentire, non magis quàm is qui abest. Furiosi enim nulla est voluntas *l. furiosi 40. eod.* nullum judicium §. *furiosus Instit. de inutilib. stipul.* Et idcirco nullum contractum potest inire *d. §. furiosus.*

AD L. CLXVII. aliàs CXXV.

Favorabiliores rei potius quàm actores habentur.

IN omnibus causis tam publicis& criminalibus quàm privatis & pecuniarijs hæc regula obtinet, ut sc. favorabiliores rei sint quàm actores, præsertim ubi partium jura sunt obscura. Et hinc proniores leges sunt ad absolutionem quàm condemnationem, *l. Arrianus 47. de oblig. & act.* Et actore non probante, reus, etsi nihil præstiterit, absolvitur *l. qui accusare 4. C. de edendo.*

AD L. CLXVIII. aliàs CXXVII.

Nemo prædo est, qui pretium numeravit.

RAtio regulæ est: Nam prædonis propriè est, non posse ullam causam suæ possessionis reddere:

dere; quoq; interrogatus cur possideat, responsurus sit, quia possideo *l. pro herede §. fin. cum l. seq. de petit. hered.* Qui itaq; rem aliquam titulo emtionis possidet, & pretium numeravit, prædo non erit *h. l. n.*

AD § I.

Locupletior non est factus, qui libertum acquisierit.

CUm liber homo non sit in commercio *l. liber homo ff. de acquir. rer. dom.* nulla etenim pretij cum libertate est proportio; exinde rectè dixit Ulpianus *h. l. n.* Locupletior non est, qui liberum acquisierit. Neq; enim liber homo, (sive libertus) in bonis esse, neq; æstimari potest. *l. naturalis §. in fin. de præscript. verb.* 2.

AD §. fin.

Cum de lucro duorum quæritur, melior est causa possidentis.

SEntentia h. legis est: Cum in causa lucrativâ versamur, veluti ubi fortè duobus eadem res uni ex testamento, alteri ex donato debetur; in obscuro pro possidente fit interpretatio, & melior est conditio ejus qui possidet, *de quo dictum ad l. in eo. 33. eod. tit.* 3.

AD L. CLXIX. aliàs CXXVIII.

Cum prætor in heredem dat actionem quatenus ad eum pervenit, sufficit, si vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.

ILla verba, *cum Prætor dat actionem*, non sunt referenda ad jus prætorium, sed ad actiones, quæ olim à prætore impetrari debebant, *l. 2. de orig. jur.* ut sunt omnes civiles actiones, inter quas numerantur actiones ex maleficijs; ex quibus ideò tenetur heres, si quod vel momento ad eum pervenit, quod videlicet ad hoc, ut jus sit perpetuum, satis sit semel extitisse *l. si filiusfam. de verb. oblig.* nec jus aliquid contrarium, quò tolli potuerit, intervenisse *l. nihil tam naturale. h. tit.* Nec sunt verba illa otiosa, *ex dolo defuncti.* Nam ex suo quisq; dolo in solidum conveniri potest.

AD L. CLXX. aliàs CXXVIII.

In pari causâ, possessor potior haberi debet.

1. QUaliscunque possessor, hoc ipso quod possessor est, plus juris habet, quàm ille qui non habet. V. G. Uterq; nostrum unam eandemq; rem emit diversis non dominis, cum emtio venditioq; sine dolo mala fieret, traditaq; est, ille potior habetur, & tuendus est, qui prior eam apprehendit, h. e. cui primum tradita est: Ita docet JCtus Neratius *in l. si ea res §. fin. de act. emti.* Cum quo consentit *l. sive autem 9. §. si duobus ff. de public. in rem act.* Sic quotiens duobus in solidum prædium obligatum jure distrahitur, manifesti juris est, in definiendo dominio esse potiorem, cui prius traditum *l. quoties 15. C. rei vendicat.* Neq; in causis civilibus solum hæc regula attenditur, sed & in delictis quoq; eadem sibi

ſibi vendicat locum *c. in pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poßidentis. de reg. jur. in 6. Ulp. in l. per delictum 154. inf. eod.* ubi ait, cauſam poſſeſſoris meliorem haberi, petitoremq; ſemper onerari, cum delictum duorum eſt. Exemplum eſt *in l. 3. de condict. ob turp. cauſ.* ubi pecuniâ data judici, ut malè judicet, repeti ab eodem non poteſt, quod utriusq; & dantis & accipientis turpitudo hoc caſu verſetur, ac potior ſit is qui eam accepit & habet.

AD § I.

Hi qui in univerſum jus ſuccedunt, heredis loco habentur.

HEredum loco habentur; verbi gratiâ, & ſunt bonorum poſſeſſores, fideicommiſſarij heredes, & qui hereditatem emerent. Hi heredum loco habentur; quia in univerſum jus ſuccedunt. Nec tamen propriè ſunt heredes; quia heredis nomen civile eſt bonorum poſſeſſor verò eſt juris Prætorij. Fideicommiſſarius non inſtituitur verbis directis, ſed precarijs & obliquis: & qui hereditatem emit, hereditatem non conſequitur ex teſtamento, vel ab inteſtato, qui propriè eſt heres, ſed ex contractu emtionis. 2.

AD L. CLXXI. aliàs CXXIX.

Nihil dolo creditor facit, qui ſuum recipit.

CReditor qui ſuum exigit à debitore auctoritate judicis, non facit hoc in fraudem aliorum creditorum, quibus idem debitor obligatus 1.

est, licet postea illis creditoribus non possit satisfacere *h. l. n.* Nam nec dolus nec fraus ei creditori imputari potest, qui in credito suo persequendo diligentior cæteris fuit, & sibi consultum voluit, *l. quod autem 6. §. apud Labeonem 6. & §. sciendum 7. & l. pupillus 24. Quæ in fraud. credit.* Alij creditores suæ negligentæ expensum ferre debent, & jus civile vigilantibus scriptum est, *d. l. pupillus.*

AD § I.

Cum principalis causa non subsistit: nec ea quidem quæ sequuntur, locum habent.

2 INter *banc legem, & legem cum principalis 138. eod.* nihil interest, nisi quod illis additur *plerunque*: hic non additur, propterea ut intelligamus hãc regulam non perpetuò esse veram. Regulariter verum est, ut cum principalis causa non subsistit, nec ea quæ sequuntur, locum habeant; quia accessorium sequitur naturam sui principalis, *c. accessorium de reg. jur. in 6.* Et sic debitore principali liberato, fidejussores quoq; liberati sunt: quia fidejussio est accessio, *l. si servum §. videamus de verb. oblig.* Sic matrimonio non subsequenter nec dos nec donatio propter nuptias valet, *l. 3. de jure dot.* Interdum tamen id quod sequitur, seu accessorium, locum habet, etiamsi principalis causa non subsistat: Veluti si ususfructus fundi legatus sit. Nam licet fundus accessorium sit villæ, & villa sublata ususfructus fundi, nempe

nempe accessorium villæ *l. quid tamen 10. in pr. ff. Quib. mod. usuff. amit.* Sic hypothecaria actio, accessio est actoris principalis; & tamen quando duo sunt heredes debitoris defuncti, & alter ex ijs suam partem solvit, atq; ita principalis actio, quæ in eum competit, extinguitur, tamen suam portionem ex pignoribus recipere non potest, sed rectè convenitur hypothecaria actione in solidum, quia vincula pignoris durant actione personali sublata *l. 1. & 2. C. de solutione pign.*

AD L. CLXXII. aliàs CXLX.

Nunquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

Pœnales actiones sunt, quæ descendunt ex maleficio, vel quasi, ut actio furti manifesti & nec manifesti merè pœnales actiones sunt: Sic actio injuriarum, itemq; arborum furtim cæsarum, merè pœnales actiones sunt. Et hujusmodi actiones pœnales de eadem re concurrentes, nunquam alia aliam consumit *h. l. n.* hoc est: Si plures actiones pœnales de eadem re competunt, altera per alteram non permittitur, sed ōnibus adversus eundem simul possumus experiri: De eadem re, h. e. ejusdem rei nomine, non de eodem facto: Quia ut plures actiones de eadem re concurrentes competant, & simul jis experiri possimus, ex pluribus causis factum descendere eas necesse est. Et sic locus est regulæ nostræ. Si plures actiones competunt ex pluribus factis, de

eodem corpore. Sic qui hominem ſurripuit & occidit; quia ſurripuit, furti; quia occidit, L. Aquilia tenetur, neq; altera harum actionum alteram tollit, *l. nunquam 2. §. 1. de priv. delict.* Sic ſi furtim arbores meas cecideris, & lucri faciendi cauſa contrectaveris, præter actionem arborum furtim cæſarum, etiam furti lignorum cauſa teneris, *l. facienda 8. §. 2. Arb. furt. cæſ.* Sic ſi quis feram beſtiam ibi habuerit, quâ vulgò iter fit, & noluerit beſtia tranſeunti, actio ædilitia. non tollit actionem de pauperie *§. fin. Inſtit. ſi quando. paup.*

2. Dicit autem Ulpianus *in h. l. noſtra* actiones *præſertim* pœnales, ut ſc. ſignificet, in pœnalibus quidem actionibus, h. e. illis quidem quibus meram pœnam perſequimur, hoc obtinere, ut una actio aliam non tollat: & quidem *præſertim*, h. e. inprimis; ſed non ijs ſolis, verum etiam in actionibus mixtis obtinere: Nam actiones pœnales mixtæ ſi ſunt, h. e. ſi merè pœnalis actio, concurrit cum rei perſecutoria, altera actio alteram itidem non tollit. Et ſic furti actio non tollit condictionem furtivam, vel actionem pro ſocio, & è contra *l. ſi pro furto 7. §. de condict. furt. l. rei communis 45. pro ſocio.* Quod ſi actiones pœnales vel etiam mixtæ, non ex pluribus cauſis vel factis competunt, ſed ex facto uno, tum omnibus quidem uti permiſſum, h. e omnes quidem competunt, ſed unâ electâ, reliquis non eſt locus. Et huc pertinet quod Modeſtinus tradidit

didit his verbis: plura delicta in una re plures admittunt actiones, sed non posse omnibus uti, uti probatum est. Nam si ex una obligatione plures actiones nascuntur, una tantummodò, non omnibus utendum est, *l. plura 53. in pr. de verb. oblig. Cujat. ad h. l. & lib. 8. obs. 24.* ubi hæc latè tradit.

Ad L. CLXXIII. aliàs CXXXI.

Qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur, quia pro possessione dolus est.

HÆc regula habet locum in actione in rem, seu rei vendicatione, in petitione hereditatis, in actione ad exhibendū, in noxalibus actionibus, quibus omnibus rem à possessore petimus. Docet namq; JC hac regula, eum qui possedit, & dolo desijt possidere, seu possessionem à se amovit, & transtulit in alium, non secus haberi, ac si adhuc possideret. Et propterea etiam illis actionibus tenetur, qui non possident. Si itaq; peto à te rem aliquam, quam tu, cum sentires litem à me adversus te motum iri, alienasti, dolo desijsti possidere, ideo condemnari poteris ad rem restituendam, non secus, ac si rem adhuc haberes, vel verè possideres, *l. sin autem 27. § sed & is de rei vendic.* Fingitur enim adhuc possidere, ut salvo jure civili maneat pristinis actionibus obnoxius, quæ dirigi in eum tanquam possessorem stricto jure non poterant, *d. l. sin autem. & c. pro possessore. de reg. jur. in 6.* Et hoc est quod Paulus

in h. l. subjicit; *quia*, inquit, *pro possessione dolus est*, h. e. dolus quem quis commisit in deserendo possessionem, facit ut habeatur quis adhuc possidere. Et semper qui dolo facit, quo minus haberet, pro eo est, ac si haberet *l. ad ea quæ 199. eod.*

AD L. CLXXIV. aliàs CXXXII.

Imperitia culpæ adnumeratur.

DAmnum injuriâ fit, vel per dolum, vel per culpam *§. injuria. Inst. de L. Aquil.* Inter cæteras autem culpæ species, quas in damno injuriâ dato, commemorat Imperator, est imperitia *§. imperitia d. tit.* Unde Cajus *h. l. n.* Imperitia culpæ adnumeratur. Quia sc. ei qui imperitia damnum dederit, imputari possit, quod se rei ad se non pertinenti immiscuerit, *l. culpa h. tit.* Uti itaq; quis ex culpa tenetur lege Aquilia, ita quoq; tenetur quis ex imperitia, vel etiam ex infirmitate. Hinc mulio, qui per imperitiam aut infirmitatem impetum mularum aut aliàs impetum æquorum, quibus vehebatur, retinere non potuit, cum alius firmior eas easve retinere potuisset, æquè culpa tenetur §. *præterea Inst. de L. Aquil.* & affectare quis non debet, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alii periculosam fore *l. idem juris in fin. ad L. Aquil.* Sed tamen mensori ex imperitia nihil imputari posse, *textus est in l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod. dix.* Quia sibi imputet, qui non magis industrium hominem adhibuit, *arg.* §. *fin. Inst. de societ.* Sufficit ergò si ab illo

ab illo dolus præstetur, &, quæ dolo æquiparatur, lata culpa *d. l. n.*

AD L. CLXXV. aliàs CXXXIII.

Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest.

CUm servi veluti quædam instrumenta rerum acquirendarum esse dicantur *l. placet 79. de acq. hered.* Consentaneum utiq; est, ut dominis suis prosint paciscendo, *l. sin autem 29 de pact.* stipulando *l. servus 62. de verb. oblig.* nequaquam verò servi domino noceant, aut deterius jus domini reddant *l. 19. mandati h. l. n.*

AD L CLXXVI. aliàs CXXXIV.

Non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur à debitore, sed cum quid de bonis diminuitur.

UT in fraudem creditorum dicatur quid factum, omninò requiritur, ut diminutum esse patrimonium debitoris, *l. qui autem 6. Quæ in fraud. cred.* Locus itaq; est actioni pelianæ, si debitor ex bonis suis aliquid diminuit: locus autem non est, si occasione acquirendi non utatur debitor. V.G. Debitor hereditatem repudiavit, vel legatum, aut donationem non acceptavit, etjamsi inde patrimonium ejus augeri potuisset, quia tamen patrimonium quod habet, non diminuntur, creditores non fraudantur, nec damnum patiuntur; quia quod noluit debitor acquirere, ob id patrimonium suum non diminuit;

d. l. 6.

d. l. qui autem. neq; intelligitur alienare, qui occasione acquirendi non utitur, *l. alienationis verbum de verb. sign.* Et ob id actio Pauliana etiam revocatoria appellatur, ut revocet sive recuperet; non quod potuit acquirere debitor, quia nondum acquisivit, sed quod habuit, & in fraudem creditorum alienavit *§. item si quis Inst. de act.*

Ad § 1.

Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

2. NOn enim consentaneum juris est, ut quis ex eo præmium ferat, quod pœnam meretur. Unde & stipulator sub hac conditione committitur, ne quis doli sui præmium ferat. *ita demum de recept. arbit.* Exemplum est *in l. si ab hostibus 10. §. 1. ff. soluto matrim.* ubi heredes mulieris, quæ à marito occisa est, dotem exigere jubentur indistinctè. Quocirca dos ista, etiamsi ex pactione ante facta post uxoris obitum penes maritum remanere debuisset, lucro mariti non cedit; quod æquum non sit, ut vir ob facinus suam dotem lucrifaciat. Et malitiæ patrocinandum non est, *l. 1. de dolo.*

AD L. CLXXVII. aliàs CXXXV.

Ea quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur.

HÆc regula in ultimis voluntatibus, legatis fideicommissis & libertatibus sub impossibili conditione relictis, plerumq; obtinet, *§. impossibilis.*

poßibilis Instit. de hered. instit. idq; ob harum causarum singularem favorem *l. in testamentis h. tit.* qui postulabat, ut valerent potius quàm corruerent. Alioquin verò in cæteris rebus, ut in contractibus, ludere potiꝰ quā aliquid agere contrahentes voluisse præsumuntur, qui sub impossibili conditione quicquam egerunt *l. nō solum de oblig. & act.* adeoq; si impossibilis conditio, quæ in faciendo consistit, contractui adjicitur, contractum facit nullum, *§. si impoßibilis Inst. de inutilib. stipulat.*

AD L. CLXXVIII. aliàs CXXXVI.

Bona fides tantundem poßidenti præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.

BOna fides, *h. e. probabilis rei alienæ ignorantia.* Hinc bonæ fidei emtor dicitur, in materia præscriptionum, qui ignoravit eam rem alienam esse aut putavit eam qui vendidit, jus vendendi habere, puta, procuratorem vel tutorem esse, *l. bonæ fidei 109. de verb. sign.* Hæc bona fides tantum præstat, quantū veritas, *h. e. tuetur eum qui tempore legibus præscripto poßidet, non secus ac si dominus esset.* Per veritatem hic accipimus dominiū. Addit Paulus: *Quoties lex impedimento non est*, h. e. nisi lex velit, eum in tali casu pro vero domino non reputari. Et ita furtivarum rerum lex XII. Tabb. & lex Attinia inhibuit usucapionem, vi possessarum Plantia & Julia *§. furtivæ Inst. de usucap.* Sic fundum dotalem longa etiam possessione nobis

quære-

quærere non possumus, quia lex Julia fundum dotalem vetat alienari: & vix est ut non videatur alienare, qui patitur usucapi *l. si fundum 16. de fundo dot.*

AD L. CLXXIX. aliàs CXXXV.

Qui autore judice comparavit, bonæ fidei possessor est.

QUi rem authore judice, *sive authore Magistratus* comparavit, bonæ fidei possessor est, h. e. si merè & sine dolo acquisivit, ideoq; justè possidet & rectè *l. 11. de acq. poss.* dummodo res talis sit, cujus possessionem magistratus pro jurisdictione transferre possit. Exempla sumi possunt *ex l. si per errorem 17. de usucap. & l. etsi quis 14. §. 1. de relig. & sumt. fun.*

AD L. CLXXX. aliàs CXXXVIII.

Omnis hereditas quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur.

PRæterquam quod aditio heredem faciat eum, cui delata erat hereditas, conjungit etiam momenta mortis testatoris, cum extremis aditionis, quâ de re Paulus *h. loco*. Omnis hereditas quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur, *h. e. perinde est cum adit heres hereditatem post aliquot tempus à morte testatoris, ac si statim ipso momento post mortem testatoris hereditatem adiisset.* Idem tradit Celsus his verbis: Omnia ferè jura heredum perinde habentur, ac si continuò sub tempore mortis heredes extitissent, *l.*

omnia

omnia 154. h. tit. Idq; propter juris conditionem, quod nisi connexione illa extremorum utriusq; temporis unitum conservetur, tam poterit videri heres in idem numero jus, quod penes defunctum fuit, quàm in aliud quoddam ei simile, & à priore diversum successisse, *arg. §. si ab hostibus Instit. Quib. mod. jus pat. potest. solv.* Nam jus semel extinctum, idem numero nunquam reviviscit; *l, qui res §. aream. de solut.*

AD § I.

Nunquam crescit ex post facto præteriti delicti æstimatio.

PRæteritum delictum vocat Paulus, delictum jam semel natum, & formâ sua consummatū: Illud ex post facto, sive ex tractu temporis, non crescit aut augetur, ut pluris possit æstimari, *h. l. nost.* Ratio in eo esse creditur, quod in his quæ juris sunt, semper spectemus initia *l. si filiusfamilias 19. eod.* Si igitur vulneratus fuerit servus, non mortiferè; negligentiâ autem perierit, de vulnerato erit actio, non de occiso, *l. qui occidit 30. ad L. Aquil.*

AD L. CLXXXI. aliàs CXXXIX.

Omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio salvæ permanent.

OMnes actiones quæ morte aut tempore pereunt, V. G. pœnales actiones, *quæ morte*, & injuriarum verbalium, *quæ tempore pereunt*: Semel 1.

mel inclusæ judicio, *h. e. lite de eis contestata*, salvæ permanent, *h.e. perpetuæ fiunt, & in heredes tam activè quam paßivè transeunt*, modò civiliter sint intentatæ *l. pœnalia judicia 125. h.* Quæ res non aliam habet rationem, quàm quod in ipsa contestatione sit quidem quasi contractus, *l. 3. §. idem de pecul.* quo se uterq; litigantium obliget alteri in id, quod judicis sententia constituetur: quæ obligatio, quia ex contractu venit, debet & civilis esse & perpetua *arg. l. 4. de servit.*

AD § I.

Non videtur perfectè cujusquam id esse, quod ex casu auferri potest.

2. VIs & effectus dominij in eo est, ut quod jure tenet quisq; , id ab eo invito auferri non possit, *l. id quod nostrum 12. eod.* utpote traditione *§. per traditionem. Instit. de rer. divis.* Quæ ergo ejusmodi sunt, ut à nobis invitis auferri possunt, non sunt propriè nostra, vel nostri dominij. Unde Cajus *h. l. n.* Non videtur perfectè id esse cujusquam, quod ex causa auferri potest, *h. e. non dicitur propriè esse alicujus, seu integro & pleno jure dominij, quod in casum seu eventum conditionis aut diei, seu conditione & die adveniente & existente, auferri potest.* Nam si quid datum vel traditum sub conditione; transit quidem dominium in accipientem, sed non incommutabiliter, sive non sine periculo revocationis *l. si is cui de donat. caus. mort.* Et ob id quoq; heres rem sub conditione

ditione vel in diem legatum nec alienare, nec pignori obligare potest, *l. ult. §. sed quia C. comm. de legatis.*

AD L. CXXXII. aliàs CXL.

Absentia ejus, qui Reip. causa abest, neq; ei, neq; alij damnosa esse debet.

Qui Reipublicæ causa abest, nec sibi damno est; *quoniam in integrum restituitur, si res ipsius interea dum abest, vel usucapta vel diminuta sit.* Alij verò damno esse non potest; *quia Prætor et quoq; succurrit*, cujus res absens iste interea usucapit, vel alio modo imminuit, *§. rursus ubi Interpp. Inst. de actionib.* Adeoq absentia nocet ipsi absenti, ne ex sua probitate sentiat incommodum *l. 1. in pr. de dolo*, non etiam alij, ne sc. res inter alios acta noceat alijs *l. sæpe de re judic.* Eum verò abesse dicimus, qui non sui commodi causa, sed coactus abest, & vel publica legatione fungitur, vel expeditione militari occupatus, *l. milites 7. & l. Reipublicæ l. qui mittuntur 35. Ex quib. caus. maj.* Deinde ut absenti Reip. causa hoc privilegium competat, requiritur, ut procuratorem domi relictum non habeat, nam si procuratorem reliquit domi, per quem defendi potuit, in integrum restitui volens, non auditur, *l. 15. qui 39. Ex quib. caus. maj. § rursus ex diverso Inst. de act. ubi Interpp.*

AD L. CLXXXIII. aliàs CXLI.

Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentia.

5. QUod contra rationem juris receptum est, *h. e. quod ob evidentem aliquam utilitatem vel necessitatem, singulari jure, seu contra rationem juris generalis, sive contra juris communis tenorem & regulam constitutum est.* Id non producendum est ad consequentias, *h. e. non debet produci in argumentum seu exemplum*, seu non debet porrigi ad casus, qui videntur similes, neq; ad alias personas, quarum tenor istorum privilegiorum non meminit, *l. in omnibus 68. sup. eod.* V. G. odio furum introductum est, quo pluribus actionibus teneantur, adeoq; permissum est, ut ab eis rem suam quisq; condicat *§. sic itaq; Instit. de act.* at horum exemplo non licebit & à raptore rem suam à domino condictione revocare. Sic SCto Vellejano succurritur mulieri *l. 1. ad SC. Vellej.* at nullatenus mulieri. Nam quia hæc exorbitant à jure communi, vix suis locis perpetua sunt. Nam & mulier quæ fidejussionem iteravit, beneficium amittit, *l. si mulier 2. C. ad SC. Vellej.* & dominus qui vendicationem inchoavit, nō potest eâ omissa ad condictionem venire. Licet itaq; in paribus causis æquitas paria jura desiderent, seu ubi est eadem ratio, ibidem jus est statuendum, *l. 3. §. de injust. rupt.* Jus singulare tamen non producitur ad consequentiam; sed quæ ex pari, à jure singulari ducuntur argumenta, ea vitiosa sunt. Nam in his quæ contra rationem juris constituta sunt, non possumus sequi regulam juris *l. in his 15. h. tit.*

AD § I.

Uni duo pro solido heredes esse non possunt.

UNi duo pro solido heredes esse non possunt, 2.
h. l. n. uti nec duo unius ejusdemq; rei domini in solidum esse possunt, *l. si ut certo 5. §. ult. ff. commod.* Ratio regulæ hujus est evidens: quia natura non patitur, ut eadem res duorum pluriumve sit in solidum. Quæ enim plurium sunt, in partes scindi necesse est, si modò divisionem recipiant, & partium præstationem. Nam si non recipiunt, recurrendum est ad remedia, quæ traduntur *in l. stipulationes non dividuntur 72. de verb. oblig.* Sic quoq; plures unam rem in solidum possidere non possunt, *l. si ut certo §. si duobus ff. commod.* Duo itaq; vel plures non possunt uni alicui heredes esse in solidum *h. §. n.* sed quilibet heres est pro parte adscripta; & si nullæ partes adscriptæ sint, pro partibus singulis succedunt, *l. quoties 9. §. 12. de hered. instit.* Et hinc sequitur, ejusmodi heredes quoq; à creditoribus tantum pro partibus hereditarijs posse conveniri. Heres enim repræsentat defunctum tantùm pro parte ea qua heres est, in cæteris omnibus pro extraneo habetur, *l. ad ea 199. h. tit.*

AD L. CLXXXIV. aliàs CXLII.

Qui tacet, non utiq; fatetur; sed tamen verum est, eum non negare.

QUi tacet *sive qui nihil loquitur,* non fatetur, *h. c. non videtur consentire aut fateri, sive confiteri.*

nec videtur etiam contradicere, sive negare. Ut ita ta-
cere medium sit inter affirmare ac negare. Regu-
la itaq; hoc demonstrat, non *utiq;*, h. e. non sem-
per necessariò eum videri fateri, qui tacet, quam-
vis hoc semper verũ sit, eum non negare; expres-
sim scilicet. Exemplum est *in l. non utiq; de excep.*
Ubi dicitur, non semper scilicet intentionem ad-
versam fateri eum, qui de ea tacens, neq; fatend-
eam, neq; negando, exceptionem aliquam adver-
sus id, quod adversarius intendit, objicit. Interd-
ergò fatetur, qui tacet, si tantùm exceptione uti-
tur: veluti, si talis exceptio sit, quæ tacitè in s-
intentionis confessionem contineat, qualis po-
test videri exceptio non numeratæ pecuniæ, au-
pacti, ne pecunia à se peteretur; sed & qui con-
tumaciter tacet, interdum fateri existimatur, *ut i-*
l. 1. §. pœna autem 4. de liber. agnosc.

AD L. CXXXV, aliàs CXLIII.

Quod ipsis, qui contraxerunt, obstat, & suc-
cessoribus eorum obstabit.

SEntentia hujus legis plana est. Ratio regul-
est: quod non debet quis melioris condition-
esse, quàm autor ejus, à quo jus in eum transiji-
l. in his 135. §. fin. eod. Et hinc est, quod vendito-
ris exceptionibus rectè utatur emtor *l. emtori 2-*
C. de evict. E contra verò etiam nocet exceptio r-
judicatæ ei qui successit in dominium ejus, q-
judicio expertus est, *l. exceptio 28. de except. r-*
judic. Sic heres pacto, quod defunctus fec-

fide

fidem præstare debet *l. epistola 52. de pact.* Idem etiam est in successoribus singularibus, qui in universum jus defuncti succedunt. Nemo enim plus commodi heredi suo relinquit, quàm ipse habet, *l. nemo 162. h. tit.* Et heres ejusdem potestatis & juris est cujus fuit defunctus *l. heredem 59. h. tit.* Hoc autem notandum est, in eo esse differentiam inter successores singulares & universales; quod vitia realia in quoscunq; successores, tam singulares quàm universales; personalia verò tantùm in successores universales, non in singulares transeant *l. vitia 11. C. de acquir. hered. & § diutina Instit. de usucap.*

AD L. CLXXXVI. aliàs CXLIV.

Non omne quod licet, honestum est.

NOn omne quod licet, *h. e. quod legibus impunitum est: quia enim licet, per conniventiam permittitur l. in conjunctionibus 157. eod.* honestum est, *h. e. cum honestate illa, quæ omninò juri naturali conveniens est, convenit.* Seu non omne quod licet per leges, eò quod leges non vetant, est faciendum, *d. l. in conjunctionib. ubi dictum.* 1.

AD § I.

In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

SEntentia *hujus §.* est: Quod in stipulationibus, ut est in cæteris contractibus, initium semper sit considerandum. Et hinc est, quod mortuo stipulatore, non tantum quod purè & in diem 2.

 promis-

promissum est, heredi debeatur, sed etiam spes ejus, quod sub conditione promissum est, in heredem transmittitur, §. *antepen. Inst. de inutilib. stipul.* quod tamen secus est in legatis *l. quæ legata 18. h. tit.*

AD L. CLXXXVII. aliàs CXLV.

Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.

JCtus hac regula docet, non posse revocari actione Pauliana, si quod alienatum est, in fraudem creditorum, sed alienatum est ipsis sciẽtibus & consentientibus. Nemo enim videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt, *l. quod autem 6. §. præterea. Quæ in fraud. credit.* Quamvis itaq; revera fraudentur creditores, tamen Paulianæ actionis Prætoriæ remedio indigni sunt, qui scientes prudentesq; se fraudari patiuntur. Hinc alia regula juris Canonici: scienti & consentienti non fit injuria, neq; dolus *c. scienti de reg. jur. in 6.* Hinc injuriâ non dicitur committi, nisi molestè & graviter ferent, sive injuriam ad animum revocanti *§. fin. Inst. de injur.* Nec furtum dicitur fieri, nisi fiat invito domino, *§. furtum Instit. de oblig. quæ ex delict. nasc.*

AD L. CLXXXVIII. aliàs CXLVI.

Quod quis dum servus est, egit, proficere libero non potest.

QUod quis dum servus est, egit, *h. e. quem contractum servus iniit, seu quod pactum servus fecit,* id per-

id perficere libero facto non poteſt, *h. e. id non prodeſt ſervo, ubi è ſervitute manumiſſus eſt.* Quia in ſtipulationibus & in cæteris contractibus, id tempus ſpectatur, quo contrahimus, *l. non omne 186. §. fin. h. tit.* Et quicquid ſervus acquirit, id non ſibi, ſed domino acquirit, : ita ut ne momento quidem in perſona ipſius ſervi ſubſiſtat, *l. placet 79. de acq. hered.* Domini lucro itaq; illud quoq; cedit, quod ſervus ſub conditione ſtipulatus eſt, etiamſi conditio extiterit tunc, quando ſervus iſte liber factus eſt, *l. quæ legata 18. h. tit.* Atq; ita vice verſa, quod ſervus in ſervitute egit, ei libero facto non nocet, per eandem rationem *Accurſ. in l. 2. C. An ſervus pro ſuo facto poſt miſsionem.*

AD L. CLXXXIX. aliàs CXLVII.

Semper ſpecialia generalibus inſunt.

RECtè. Qui n. de genere loquitur, ſpecies tacitè nominavit. Qui verò de una aliqua ſpecie loquitur, is cæteras ſub eodem genere contentas ſpecies non diſſimulanter excludit, *l. uxorem §. feliciſsimo de legat. 3.* Et ut Canonibus eſt; Generi per ſpeciem derogatur *c. generi Ext. eod. in 6.* Et Papinianus: In toto jure generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt, *l. in toto 80. eod.* Genus quoq; cum dicimus in libris noſtris, intelligimus id quod latius patet; ſicut per ſpeciem denotatur id quod eſt anguſtius. Hinc generali hypothecæ ea quoq; ineſt, quæ ſpecialis eſt, & rerum

futurarum, *l. fin. C. Quæ res pign.* Et alimentis legatis, cibus, potus, vestitus, & habitatio debetur: quia sine his ali corpus non potest, *l. legatis alimentis 6. de aliment. legat.*

AD L. CXC. aliàs CXLVIII.

Cujus effectus omnibus prodest, ejus & partes ad omnes pertinent.

CUjus effectus omnibus prodest, *h. e. cujus rei utilitas vel emolumentum ad omnes totaliter pertinet*, ejus & partes ad omnes, *h. e. ad singulos specialiter* pertinent *h. l. n.* Hinc illa Interpp. regula. Ut quod juris est de toto, idem sit & de parte ejus. Sicuti quæ de tota hereditate vindicanda dicuntur, eadem & de parte intelligenda sunt, *l. quæ de tota 76. de rei vendic.* Exemplum hujus regulæ ponit Cujatius *9. Obs. 37.* in creditore, qui in possessionem pignoris Prætorij missus est: hujus quippe missionis effectus hic est, ut omnibus creditoribus perficiat, cum is non sibi, sed omnibus possidere intelligatur *per l. is cui 5. § si plures. Ut in possess. legat. l. cum unus 12. in pr. de reb. auth. jud. possid.* Atq; ita, cujus effectus omnibus prodest, & partes ad omnes pertinent *h. l. nost.*

AD L. CXCI. aliàs CXLIX.

Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet.

EX qua persona quis lucrum capit, *h. e. si quis commodum vult sentire ex persona alicujus*, ejus factum

factum quoq; præstare debet, *h. e. debet quoq; sentire incommodum si quod ex ejus persona contingit.* Æquum n. est, ut cujus participavit quis lucrum, participat & damnum: nec ferendus est, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei adnexum contemnit, *l. unic. §. pro secundo C. de caduc. toll.* V. G. Præfeci ego procuratorem, institorem, magistrum navis, aut famulum negotiationibus meis, ex quorum persona & facto, h. e. ultro citroq; negotiatione, lucrum percipio, idcirco quoq; ubi contingit, ut ipsi se meo nomine obligent, ratum id habere teneor *l. 1. de instit. act.*

AD L. CXCII. aliàs CXLIX.

Parem esse conditionem oportet ejus qui quid possideat, vel habeat; atq; ejus cujus dolo malo factum est, quo minus possideret vel haberet.

HAc regula docet JCtus, eum qui possidet, & qui dolo possidere desijt, pro eodem haberi. Hinc fit, ut qui dolo desijt possidere, pro possidente damnetur, quia dolus pro possessione est, *l. qui dolo 137. h. tit.*

AD L. CXCIII. aliàs CLI.

Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.

NEmo damnum facit, *h. e. nihil damni dat, vel nemo intelligitur alteri damnum dare vel inferre, ita ut ex damno alteri illato teneatur & conveniatur:* nisi qui id facit, quod facere jus nō habet,

h. e. nisi quis facit id, quod facere ei jure non licet. Ex contrario sensu itaq; sequitur; si quis facit, quod facere jus habet *h. e. qui jure suo utitur*, alteri damnum non dat, *h. e. etsi alteri damnum inde existit, tamen non intelligitur damnum dare*, nec ex illo damno conveniri potest, *l. fluminum* 24. *§. fin. & l. Proculus. de damn. infect.* ubi utrobiq; Ulpianus exempla hujus regulæ adfert. Notandum itaq; est: quod damnum, vis, injuriæ, vocabilia sint, quibus nunquam societas est cum jure: qui ergò jure suo utitur, nec damnum, nec vim facit. Hinc si judex sontes pœna adficiat, injuriam fecisse non dicitur, quia executio juris non habet injuriam *l. injuriarum §. 1. de injur.* Et quæ jure magistratus fiunt, ad injuriarum actionem non pertinent, cum animo corrigendi fiant, *l. item apud §. quod ait. de injur.*

AD L. CXCIV. aliàs CLII.

Hoc jure utimur, ut quicquid omninò per vim fiat, aut in vis publicæ, aut in vis privatæ crimen incidat.

1. REctè dicitur; *Quicquid per vim fit, aut in vis publicæ, aut in vis privatæ crimē incidere.* Quia vis aut est publica, aut vis privata: & nullæ sunt species aliæ. Ac *vis publica* hodie dicitur, quæ infertur cum armis; *vis privata*, quæ sine armis infertur, *§. recuperandæ Instit. de interdict.* Pœna legis Juliæ de vi publica est interdictio aquæ & ignis sive deportatio *l. qui dolo 10. ff. ad L. Jul. de vi publ.*

De

De privata, est publicatio tertiæ partis bonorum *§. item lex Julia de vi publica Inst. de public. judic.*

AD § I.

Dejicit, & qui mandat.

VIs illata dicitur, non solùm si quis ipse, sed etiam si ejus mandato aliquis dejiciat, *h.l.n.* 2. Parvi enim referre visum est, suis manibus quis dejiciat, an per alium *l. 1. §. dejecisse de vi & vi arm.*

Ad § 2.

In maleficio ratihabitio mandato comparatur.

NOn solum in maleficio, sed generaliter quoq; in civilibus negotijs ratihabitio mandato comparatur per regulam; ubi Pontifex: Ratihabitionem retrohi & mandato comparari, *c. ratihabitionem de reg. jur. in 6.* Ratio est: quia non solum in delictis, sed aliàs etiam animum in delictis inspicimus, *l. qui injuriæ 53. de furt.* 3.

AD § fin.

In contractibus, quibus doli præstatio, vel bona fides inest, heres in solidum tenetur.

SEntentia hujus regulæ est: In quibus contractibus dolus malus, sive bona fides præstari debet, heres in solidum tenetur, h. e. si dolus malus causam contractui dederit, heres non tantum in id, quod ad eum pervenit, verùm in solidum obligatur, *h. l. n. & in l. ad ea 99. h. tit.* Ratio regulæ est: quia hoc casu non agitur actione ex delicto, quæ in hæredem non solet transire, sed

ex con-

ex contractu. Omnes autem ex contractu actiones, quia rei persecutionem habent, etiam in heredes dantur: cujus generis sunt actiones depositi, commodati, mandati, tutelæ, negotiorum gestorum *l. si hominem 7. §. datur ff. depos. l. ex depositi 11. de oblig. & act.*

Ferè quibuscunq; modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur. Ut igitur nulla possessio adquiri, nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumq; in contrarium actum.

HÆc regula eadem est cum ea, quam habemus *in l. nihil tam naturale 35. h. tit.* Sed hic plura exempla adducuntur. Et quod hic dicitur *ferè*, ostendit, hanc & illam regulam non semper procedere, quod ideo additum fuit, quia solutione omnis obligatio tollitur, nec est necesse eadem omnia in contrarium agi. Et sic nuptiæ quidem solo consensu contrahuntur, contrario verò consensu hodie non dissolvuntur. *Nov. 117.* per quam Novellam l. si constante *9. C. de repud.* & Novella *22. & 23.* correcta est. Sequitur *in h. l. n.* Quibus modis acquirimus, ijsdem in contrarium actis amittimus. Ut significet, priorem regulam, in qua de obligationibus docuit, habere quoq; locum in possessionibus, ita ut quibus modis possessio adquiratur, iisden etiam eadem amittatur. Et propterea Paulus subjicit: Ut igitur nulla possessio adquiri, nisi animo & corpore potest: ita nulla

nulla amittitur, nisi in qua utrumq; sit in contrarium actum, h. e. ut possessio solo animo sine corpore non adquiritur, sed utrumq; intervenire necesse est, *l. 3. in pr. l. jure familiaritatis 41. de acq. poss.* ita quoq; possessio solo corpore sive animo non amittitur, sed utrumq; intervenire debet *h. l. n. & l. quemadmodum 8. d. tit.*

AD L. CLXCVI. aliàs CLIV.

Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa: sicut fit cum de dolo excipitur petitoris: neq; enim datur talis replicatio petitori, aut si rei quoq; in ea re de dolo actum sit.

IN civilibus petitoris & actoris durior est causa, quàm possessoris si rei, si utriusq; eadem est conditio, *l. in eo h. tit.* Idem etiam in delictis habet locum, cum par est delictum, sive cum eadem est delinquentis conditio, uti Ulpianus hac regula docet. V. G. Si Titio res furto sublata est, quam ipse quoq; eodem modo alteri subtraxit, actionem furti Titius non habet: atq; ita à fure fur rem non potest vindicare, *l. qui re sibi commodata 76. §. si quis alteri ff. de furt.* Sic nec is, cui ut furi res est ablata, pœnam petere potest, quia in eandem pœnam incidit, & ut Paulus subjicit, *h. in §. seq.* illi debet permitti pœnam petere, qui in eam non incidit. Ad eundem modum in pari causa damni adversus doli exceptionem, non datur alia replicatio *l. apud Celsum 4. §. Marcellus 13. de doli except.* Et id tradit Ulpianus *hic* cum ait:

Sicut

Sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris: neq; enim datur replicatio debitori, &c.

AD § I.

Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

HUjus paragraphi explicatio tradita est in *lege præced.* Graviter & rectè pro juris autoritate stabilienda constitutum est, ne cuiquam suus dolus præmio, sed nocumento sit. Tantum ergò abest, ut legitimè illi permittatur pœnam petere, qui in eam incidit, *h. §. n.*

AD L. CXCXVII. aliàs CLV.

Factum cuiq; suum, non adversario nocere debet.

1. AD conservationem societatis pertinet, quod Paulus *hoc loco* ait: Non scilicet debere alterius conditionem ex alieno facto duriorem fieri. Quod usu venire poterat in mora, & in delictis. Nam & in mora illud æquum visum est *l. 134. §. pen. eod.* In delictis quoq; idem visum est æquum, ut in autorem suum sive delinquentem, & nullũ alium redundent. *l. crimen 26. de pœn. l. Sancimus C. de pœn.*

AD § I.

Non videtur vim facere, qui jure suo utitur, & ordinaria actione experitur.

2. EX hac regula patet, si judex per viam juris militari manu sententiam latam exequitur, & alium

alium possessione dejicit, dejectum de vi aut injuria conqueri non posse, *l. nullus 55. h. tit.* Hinc vim ille facere dicitur, qui quoties id quod sibi deberi putat, non per judicem reposcit, *l. extat. ff. Quod met. caus.*

Ad §. fin.

In pœnalibus causis benignius interpretandum.

HÆc regula habet locum, ubi de delicto non 1.
satis constat, aut delicti non est manifesta probatio. Nam tunc in dubio leges proniores sunt ad absolvendum, quàm condemnandum. *l. Arrianus 47. de oblig. & act.* Si itaq; de delicto certò constat, seu aperta ejus probatio est, interest Reip. ut suppliciorum acerbitate & exemplo minuatur facinorum frequentia *l. aut facta 16. §. fin. de pœn.* Delicta quippe non debent manere impunita *l. ita vulneratus 51. §. fin. ad L. Aquil.*

Ad L. CXCVIII. aliàs CLVI.

Invitus nemo cogitur rem defendere.

IDem dicitur *in l. invitus 17. C. de procurat.* hoc
addit: ne procurationem quidem invitum 1.
suscipere cogendum. Quod si tamen procurator publicè est receptus, & juratus, tunc invitus causas defendendas suscipere cogitur; nisi adferre possit excusationem, quæ judici sit sufficiens *Dd. in d. l. invitus Gail. 2. Obs. 43.* Aliàs alicujus possessionem suscipere cogi nemo poterit. Nam quæ meræ voluntatis & benevolentiæ sunt, in his

in his necessitas quædam nobis impuni posse non videtur *arg. l. viam ubi Dd. de via publ.*

Ad § 1.

Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.

1. Cui damus actiones, *quibus potest quis adversus aliquem experiri, furto petendo rem*; eidem & exceptiones multò magis competere quis dixerit, *h. e. ei si rem possidet, multò magis damus exceptionem, qua se defendat.* Intelligenda est itaq;, uti ex proposito exemplo patet, hæc regula, si actio & exceptio ex eadem causa proficiscuntur, & ad eundem finem tendunt, nec est in jis ratio aliqua, quæ diversum svadent.

Ad § 2.

Cum quis in alicujus locum successerit, non est æquum ei nocere hoc, quod adversus eum non nocuit, in cujus locum successerit.

Item Ad § 3.

Plerumq; emtoris eadem debet esse circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris.

3. Quæ dicuntur *in* §. 2. sunt accipienda de universali successore: at quæ *in* §. 3. de successore singulari. Quod attinet *ad* §. 1. ejus hæc est sententia. Successori universali & heredi non debere nocere, quod defuncto non nocuit. Quid enim in eo, cui succeditur, observamus; idem

& in

& in successore ejus observare debemus, ut paribus in causis atq; personis paria jura serventur. E contrario, quod defuncto profuit, idem & successori ejus prodest *l. 2. si defunctus 19. pro emt.* Idem servatur (quod in §. 3. traditur) in emtore plerunq;, quod in auctore ejus, h. e. venditore, à quo sc. auctoritatem rei, h. e. dominium ratum ac firmum jure civili accipimus. Emtor itaq; succedit in jus tam quoad agendum, quàm ad defendendum attinet, quod habuit auctor ejus sive venditor, à quo jus in eum transijt *h. §. n.*

AD § 4.

Quod cuiq; pro eo præstatur, invito non tribuitur.

HIs verbis significat Ulpianus, quod ut invitus nemo defendit, ita quoq; invitus nemo defendatur: idem tradit Ulp. *in l. causæ cognitione 27. §. 1. de procurat. & in l. hoc jure 19. §. non potest de donat.* Et sic quoq; dicitur; Invito beneficium non dari *l. invito 69. h. tit.* 4.

AD L. CXCIX. aliàs LVII.

Ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris, ignoscitur servis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt (veluti tutoribus & curatoribus obtemperaverint.

EXcusant à delicto maximè tria: Jussus domini, cujus imperium nequeat servus detrectare: Alterum est jus ipsum: Tertium est impotentia avertendi. De jussu domini sic ait Ulpianus

nus *h. l. n.* Ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris : *Veluti si servus vim aliquam vel domini, vel in jus dominici defensione fecisset, & forte volentem ingredi fundum herilem prohibere, imprudens vulnerasset:* in his ignoscitur servus, *ut scilicet non teneantur eo nomine, aut conveniri poßint, cum libertatem erant consecuti. l. servus non in omnibus. de oblig. & act.* Si vel dominis, vel ijs qui vice dominorum sunt (veluti tutoribus & curatoribus) obtemperaverint: Quia in levioribus delictis servus ignoscitur, si jussu domini quid commiserint; idq; propterea, quod velle non credatur, qui obsequitur imperio patris vel domini *l. velle non creditur 4. h. tit.* quodq; ejus non sit culpa, cui parere necesse est, *l. is damnum dat 129. eod.* In atrocioribus verò, ut si dominus hominem occidere, aut furtum fieri jussisset, non excusatur servus, sed si servus atrocius ejusmodi scelus commiserit, jussu domini, vel filius jussu patris, æquè ut dominus vel pater punitur, *l. servus 20. de oblig. & act.*

AD § I.

Semper qui dolo fecit, quo minus haberet, pro ea habendus est, ac si haberet.

2. IN *hoc §.* docet Paulus: Eum qui possidet, & dolo malo desijt possidere, perinde haberi, ac si adhuc possideret; non tamen directa actione, sed utili actione conveniendum esse *l. electio 26. §. si is quem 4. de nox. act.*

AD

AD § 2.

In contractibus successores ex dolo eorum, quibus successerunt, non tantum in id, quod ad eos pervenit: verùm etiam in solidum tenentur, hoc est, ut unusquisq; pro ea parte, qua heres est, conveniatur.

IDem traditur *in l. hoc jure utimur 194. §. fin. h. tit.* Utrobiq; enim ait Ulpianus, dolum, qui fuit in defuncto, transire in heredem, maximè in actibus, in quibus bonam fidem præstare jubemur *l. qui dolo 173. & in l. 192. eod.* Et rectè hic addita est interpretatio hujus verbi *in solidum*: ne quis existimaret, ex hujusmodi contractibus heredes non pro portionibus hereditarijs, sed in solidum conveniri posse. Et hoc interpretandi genere solent veteres uti, quoties verbis ambiguis aliquid explicarunt plures sententias recipientibus *l. si ii qui ducenta 14. §. proinde 4. de reb. dub.*

AD L. CC.

Quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum est quod minimum habeat iniquitatis.

HUcusq; *à l. prætor 117.* numerus legum in Pandectis Florentinis & vulgatis libris non convenit, propter ultimum quaternionem in Pandectis Florentinis à compactore inversum. Nunc rursus hic numerus convenire incipit.

Ait Ulpianus: *Quoties nihil sine captione inve-*

stigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis, h.e. si aliquid occurrit, quod in quamcunq; partem acceptum, semper in captionem & injuriam quandam incidit; tunc proximum est, ut eligatur quod cum alijs collatum minus sit captiosum & injuriosum. Et sic Paulus dixit: melius esse per mediocritatem causam dirimere, *l. filio vel servo 7. Ut legat. vel fideic. nom.* Pertinet huc quoq; regula: Semper in obscuris quod minimum est, sequimur *l. semper h. tit.* Exemplum est *in l. bona fides ff. depositi.*

Ad L. CCI.

Omnia quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoq; sine vitio ceperint.

Omnia quæ proficiscuntur ex testamento, *h.e. ex institutione & legatis*, ita statum eventus capiunt, *h.e. institutio & legata non sortiuntur eventum, sive effectum; seu nihil ex institutione & legatis potest peti*, si initium quoq; sine vitio ceperit, *h.e. si ab initio non valuerint, seu institutio & legata nisi ab initio valuerint*, ex post facto non convalescant. Et hoc est, quod Licinius Rufinius dixit: Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest *l. quæ ab initio 210. h. tit.* Et quod dixit Ulpianus: Siquidem ab initio non constitit legatum, ex post facto non convalescit *l. cætera 41. de legat. 1.* Et huc pertinet regula illa Catoniana: Quod ab initio vitiosum est,

est, non potest tractu temporis convalescere, *l. quæ ab initio 29. h. tit. l. 1. & tot. tit. de reg. Caton.*

AD L. CCII.

Omnis definitio in jure civili periculosa est, parum est enim ut non subverti possit.

PEriculosa est in jure civili omnis definitio, *h. e. omnis regula, qua regulariter res in jure civili definitur*: Parum enim est, ut subverti non possit, *h. e. facilè generalitas sententiæ legis subverti potest, casu ejusdem speciei diversa ratione allata*: nam facilè potest incidere casus, in quo regula illa locum non habet, sed officium suum perdit, idq; propter exiguam aliquã facti circumstantiam: quia jus ex facto oritur *l. si ex plagis 92. §. in clivo ff. ad L. Aquil.* Et sic JC. *in l. suus §. puto. de hered. instit.* definitionem appellat, quod regulæ vim continebat. Hoc itaq; responsum Javoleni *in h. n.* accipiendum est, ut sit regula, non verò jus constituat *l. regul. 1. eod.*

AD L. CCIII.

Quod quis ex culpa damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.

QUod quis ex sua culpa damnum sentit, *h. e. si quis ipse in causa est, cur damnum ei inferatur,* ille non intelligitur damnum sentire, h. e. sentit quidem damnum, sed quod ad considerationem seu fictionem juris attinet, habetur pro eo, ac si non sentiret damnum. Quia jus ei non patrocinatur, ut velit hoc damnum, quod quis ex culpa

ſua ſola ſentit, reſarciri; ſed jus damnum illud reſarcire cavet, quod alicui contra leges & jus infertur: quod quis ex ſua culpa ſentit damnum, hoc ab alio nõ poteſt recuperari. Hinc nec quisquam ei abeſſe damni nomine intelligitur, qui ſpreto inventarij beneficio damnoſam hereditatem adivit, perindè ſolida legata præſtat, atq; ſi plena eſſet hereditas; poterat enim ab initio non adire, vel inventarij beneficio immunis eſſe, *l. fin. C. de jure delib.*

AD L. CCIV.

Minus eſt actionem habere, quàm rem.

FIctione juris, is qui actionem habet ad rem recuperandam, rem ipſam habere videtur, *l. is qui actionem 15. h. tit.* ideò quod cui actio ad rem recuperandam competit, is eam rẽ per actionem conſequi poteſt. At in rei veritate minus eſt actionem habere, quàm rem *h. l. n.* propterea videlicet, quod multa accidere poſſint, ut licet actionem habeas, rem tamen non conſequaris *arg. §. illud quæſitum Inſt. de rer. diviſ.* fortè ob inopiam debitoris *l. nam is de dolo.* aut dubium litis eventum, *l. quod debetur de peculio*, tùm etiam quod ſæpiſſimè habenti actionem adverſus aliũ, non jus deficiat, ſed probatio *l. duo ſunt Titij ff. de teſtam. tutela.*

AD

Ad L. CCV.

Plerumq; fit, ut etiam ea, quæ nobis abire possint, perinde in eo statu sint, atq; si non essent ejus conditionis, ut abire possent; Et ideò quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & servitutem prædio imponere possumus.

Plerunq; fit, ait Paulus, ut etiam ea, quæ nobis abire possent, perinde in eo statu sint, atq; si non essent ejus conditionis, ut abire possent. Hæc verba ita exaudienda sunt: Si res nobis legata, vel vendita sit sub conditione, ut sc. si illud vel illud fiat, restituatur; hoc casu res talis est, ut possit à nobis abire, h. e. ut possit nobis avelli existente conditionis eventu. Sed ne illius rei dominium, interea temporis quod pendet, conditio sit incerto, perinde in eo statu est, ac si non esset ejus conditionis ut abire posset, h. e. Tum perinde eam possidemus ac si purè nostra esset, & nullam expectaremus conditionem; Itaq; legatarius vel venditor, pendente conditione eam rem obligare potest, vel alienare, vel servitute onerare, non aliter ac si res nunquam abitura esset. Possunt quoq; hæc verba ita accipi, ut conditione non existente, in eo statu intelligantur, ut à nobis nullo modo abire vel alienare possint. *Sequitur in h. l. nostra*: Et ideò quod fisco obligamus, & vendicare interdum & alienare, & servitutem prædio imponere possumus. *Et ideò*, inquit Paulus, idem est ac si diceret, *Exempli gratiâ.*

Exemplum enim regulæ hic proponitur, quod est hujusmodi: Si fisco obligavi fundum sub hac conditione, ut si pecuniam Cal. Martij non solvero, adimi possit: tamen ante Calendas in eo statu est, ac si nunquam mihi auferri possit; & si fiscus interea fundum alienaverit, possum eum vendicare. Nam non ideò minus rectè quid nostrum vendicabimus, quod abire à nobis dominium speratur, si conditio legati vel libertatis extiterit, ut idem Paulus ait in *l. non ideò 66. de rei vendic.*

Ad L. CCVI.

Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorem.

SEcundum juris præceptum est, *alterum non lædere*, quod ad plurima juris capita refertur. Hinc Pomponius dicit, *Jure naturæ æquum esse, nequis locupletetur cum alterius damno & injuriâ.* Jus naturæ, h. e. jus gentium sive naturalis ratio, *l. naturaliter 13. §. ult. & l. seq. 14. de condict. indeb.* ubi, quod hic dicitur, *jure naturæ æquum esse*: illic, naturâ æquum esse demonstratur: hoc est, ratione naturali omnibus hominibus divinitùs ingenita. Exemplum est *in l. ult. C. de usucap. pro emtore.* ubi volens cum aliena jactura locupletari adolescens per juris civilis occasionem, doli mali submovetur exceptione: quæ ex hujus Regulæ æquitate proficiscitur. Non dissimile exemplum est *in l. si presbyter 20. C. de Episc. & Cler.*

ubi

ubi ostenditur, ne sacrosanctas quidem Ecclesias cum alieno detrimento lucrum facere debere ex *l. planè in cæteris 38. de petit. hered.*

AD L. CCVII.

Res judicata pro veritate accipitur.

RES judicata dicitur, quando post sententiam latam, decem dies elapsi sunt, & intra illud tempus non est appellatum. Nam post decendium appellare non licet à sententia: quia transivit in rem judicatam, *c. non solum ubi gl. de appell. in 6.* Ejusmodi res judicata habetur pro veritate, h. e. post sententiam, quæ in rem judicatam transivit, non amplius quæritur de jure actoris & rei, sed de eo quod judicatum est, & judicatum pro vero, licet res ab eo abhorreat, habetur. Hoc autem authoritatis tribuetum est rei judicatæ, ut aliquis esset litium finis, & ne homines temerè res semel judicio, jure, atq; more finitas rescindere possent: Hinc est, quod sententia alia lata contra rem judicatam non valeat, *l. 1. C. Quand. provoc. non est necesse.*

AD L. CCVIII.

Non potest videri desijsse habere, qui nunquam habuit.

VErbum *videri* hic accipitur secundum veritatem. Revera enim non desijt habere, qui nunquam habuit. Et non amittit rem, quæ ejus propria non fuit. Ratio est: quia privatio præ-

ſupponat habitum *l. decem 118. de verb. obl.* V. G. fœmina uti non poteſt habere ſuos here-des; quia liberos in poteſtate non habet, ex q[uibus] naſcitur ſuitatis vel ſui heredis: Ita nec pote[ſt] deſinere ſuos heredes habere, propter emanc[i]pationem, cum nec emancipare poſſit, *l. nu[...] 13. de ſuis & legitt.*

Ad L. CCIX.

Servitutem mortalitati ferè comparamus.

NOn quidem ſemper pro mortuis ſervi ha-bentur: ſed quia libertatem non habent, qua-ſi è numero vivorum exemti videntur: & ide[o] jure civili pro nullis habentur *l. quod attinet 3[2] h. tit.* Additum autem eſt *ferè*; quia ſi delin-quunt, puniri ſolent: ſervilibus tamen pœnis.

Ad L. CCX.

Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſ[t] facto convaleſcere non poteſt.

HÆc regula paulò ante explicata eſt *in l. quo[d] initio vitioſum 29. eod.* Et accipe utramq; Re-gulam ita procedere, ut *ſolo* tractu temporis no[n] convaleſcat, quod ab initio inutile eſt. Nam no-va cauſa, aut voluntate accedente, poteſt poſte[a] vires incipere habere, ut indicant loca relat[a] ab Accurſio *ad h. l.*

Ad L. CCXI.


Servus reipublicæ cauſâ abeſſe non poteſt.

Inte-

INter alios qui Reip. causâ abesse non possunt, est servus. Hinc regula nostra: *Servus Reip. causa abesse nequit.* Ratio regulæ est: Quia Reip. causa abesse civile munus est, & his qui mittuntur, honorificum: unde legati etiam adhuc hodie Sacrosancti & inviolabiles dicuntur. *sanctum de rer. divis.* Et quod attinet ad jus civile, servi habentur pro nullis, & vix inter homines numerantur, *l. quod attinet 32. eod.* Planè si servi pro liberis habeantur, possunt pro Reipublicæ absentibus haberi: Si quid publici muneris eis fortè injungatur, sed hoc facit publicus error *l. Barbarius 3. de offic. prætor.*

FINIS.

Deo sit laus & gloria.



INDEX


INDEX
LEGUM AC PARAGRAPHORUM, QVÆ IN HIS commentarijs de regulis juris antiqui continentur.

Toties


Quoties

Quod

NOD



INDEX



INDEX MATERIARUM, IN QVO NUMERUS SOLUS LEGEM VEL REGULAM, E DUOBUS VERò prior legem, posterior numerum marginalem significat: interdum legem ulterioris numeri.

A

 Æquitas

B.

C.

Consum-

D.

E.

F.

Fecisse

G.

H.

Lucrosam

M.

N.

Nullitas

O.

P.

Postulare

R.

S.

T.

V.

Z 2 Errata

Errata ante omnia corrigenda.

Pagina 4. lin. 12. pro verum lege Venina. p. 9. l. 10. lege filiofamilias. p. 15. lin. 22. pro velit, lege nolit. lin. 23 pro hoc, lege hic. p. 16 lin. 15. lege debeatur, p. 17. lin. 12. lege repudient. p. 19. lin. 22. pro multo, lege nullo. p. 26. lin. 16. pro ipsi, lege ipso. p. 32. lin. 13. lege legatum. p. 36. lin. 4. lege, regulariter. p. 40. lin. 28. lege dicamus. p. 45. lin. 16. lege commissum. p. 51. lin. 7. lege expletus. lin. 9. pro depositi, lege commodati. p. 57. lin. 17. dele act. p. 59. lin. 16. pro ubi, lege uti. p. 61. lin. 10. lege temperamentum. p. 62. lin. 17. lege fraudandum. p. 68. lin. 4. à fine, pro cedes lege ædes. p. 71. lin. 18. pro sumam, lege summam. p. 72. lin 1. lege, potest dari certus modus. p. 73. lin. in pr. lege Sancinus. lin pen. lege chirographariam. p. 75. lin. 3. à fine pro anum l. annum, p. 76. lin. 11. pro quisquam lege quicquã. p. 77. lin. 8. lege avocet. lin. 10. lege derogat, pro deget. p. 78. lin. fin. pro mitione, lege tuitione. p. 80. lin. 4. lege condemnandos. p. 82. lin. 16 pro cepit, lege cedit. lin. 23 in pr. lege Et. p 86 lin. 20. pro metuenda, lege metienda. p. 87. lin. 9 pr. fugidos, lege frigidos. lin. 12 pro fugidis, lege frigidis. p. 90. lin. 4. lege naturali, ut & omnes lin. 6 lege naturam lin. 7 in fine, lege esset. p. 95. lin. pen. pro fundus lege feudum p. 95. lin. 8. in fine lege servit. urban. lin. 15 in fin. lege acquiramus. p. 98. lin. 13. pro quam lege quod. p. 100 lin. 21. pro imperitiam, lege imperitiam. p. 107. lin. 15. pro furiosus, lege prodigus. p. 109. lin. 9. lege prospiciendum. p. 110. lin. 18. lege sic; In præcedente lege 40. & pag. 107. pro LX. lege XXXX. p. 113. lin 9 pro defuncti lege defunctus. p. 114. lin. 7. fin. pro ablegare, lege allegare. p. 116 lin. pen. à fin. pro Rex lege lex. p 117. lin. 4. Pro dicit, lege dicat. lin. 9. pro nisi lege neq; lin. 19. lege, licet, quamvis sint contrariæ. p. 120. lin. pen. pro qui lege quo. p. 125. lin. 4. pro ubi lege uti. p. 126 lin. 6. à fin. lege vindictam. p. 127. lin. 3. pro hæc lege hoc. p. 129 lin. 8 in fin. lege redditur. lin. 13 lege prohibere. lin 6. lege restituturus. p. 130. lin. 8. lege indicatur. p. 138. lin. pen. à fin lege attinet. lin. 12. pro si lege sic. p. 140. lin. 10.

lege

lege comparatur mandato. p. 142. lin. 4. pro domum, lege dominij p. 144. lin. 1. lege provocet. p. 148. lin. ult. pro tum lege cum. p. 151. lin. 10. lege unquam, pro nunquam. lin. 13. lege transmittuntur. p. 159. lin. 9. pro eo, lege ei. p. 162. lin. 14. pro ad lege ac. p. 163. lin. 15. lege iterari, pro iterare. p. 170. lin. 8. à fine, lege cautione. p. 183. lin. 3. lege peculiaris. p. 184. lin. ult. lege adventitio. p. 190. lin. 2. pro minorum, lege nimirum. lin. 8. à fin. lege, qui prior possessionem ejus. p. 193. lin. 8. pro XXXIII. l. XXVIII. p. 196. lin. 8. l. intererat. lin. 13. dele quin. p. 197. lin. 7. á fin. lege præponetur. lin. fin. pro actum lege actioni. p. 198. lin. 3. lege infamiam. p. 200. lin. 16. pro servi lege servis. p. 201. lin. 3. lege civiliter. p. 202. lin. 12. lege agunt. lin. 14. lege itaq;. p. 203. lin. 4. à fine, lege litigari pro qualitate. p. 206. lin. 3. à fin. dele si. p. 209. lin. 1. lege adjuvandam. lin. 8. pro fraudi, lege furandi. lin. 21. lege, pœnas persequimur. p. 210. lin. 5. à fine, pro dati, lege dari. p. 211. lin. pen. lege, verisimilius. p. 214. lin. 9. pro quam, lege quem. lin. 21. lege incidit, concedit. p. 215. lin. 6. pro initum, lege, nullum. p. 216. lin. 14. lege approbet. p. 218. lin. 8. lege Quid. lin. 13. dele se. lin. 24. pro ut, lege at. lin. 27. pro possessionem, lege possessorem. p. 221. lin. 3. pro exempla, lege ex empto. lin. 11. lege numeravit, agit. p. 222. lin. 7. dele se. p. 223. lin. 16. lege absurdum est. p. 225. lin. 3. pro cum, lege cui. lin. 15. lege vicero : tu autem. p. 226. lin. 4. lege necessitatis. lin. 17. pro quo, lege quoq;. p. 229. lin. 21. pro ei, lege is. p. 232. lin. 17. pro hujus, lege hic. p. 233. lin. 24. pro veræ lege vera. lin. 26. pro agnoscatur, lege ignoscatur. lin. 28. pro est. lege sunt. lin. 29. pro erat, lege erit. p. 234. lin. 6. lege potestatem excusatur. p. 235. lin. 5. pro eo, lege ea. lin. 19. pro nullus, lege nullius. lin. 22. pro convertit, lege convenit. p. 238. lin. 9. in fin. pro sunt, lege sint. p. 241. lin. 12. lege, restiturus. lin. 15. lege concordat. lin. 31. lege restituturus. lin. 23. pro quid, lege quis. p. 242. lin. 6. pro alieni, lege alicui. p. 241. lin. 1. lege in jure est. lin. 5. lege potest id repudiare. lin. 9. pro eum, lege eam. p. 244. lin. 6. lege probatum fuerit. creditorem lin. 9. lege jus crediti. p. 245. lin. à fine, lege de eo solum. p. 246. lin. 4. pro quo, lege quoq; lin. 16. lege privilegia.

gia. p. 247. lin. 20. in fine, lege debeat. p. 249. lin. 13 pro quod lege quid. p. 252. lin. 2. à fin. lege stipuletur. p. 253. lin. 19 lege stipulatur. lin. 27. pro naturam lege natum. p. 255 lin. 7. pro *notis*, lege *natis*. p. 256. lin 5. pro *ejus* lege *Sejus*. p. 258 lin. 2. pro alias lege alios. p. 250 lin. 10. à fine, pro ei, lege eo. 260. lin. 17. lege à singulis. lin. 25. lege solvendo. p. 261. lin. 3. à fin. lege junguntur. p. 262. lin. 4. à fin. lege includamus. p. 263. lin. 11. pro potest, lege prodest. p. 264. lin. 3. à fin. lege honestatis. p. 265 lin. 4. lege naturali *lin.* fin. *lege*, tutor non fuerit. p. 267. *lin.* 1. *lege* esse in possessione *lin.* 5. à fine, pro omissionem, *lege* omittit possessionem. p. 270. *lin.* 1. *lege* tantus est favor. p. 273. *lin.* 1. *lege* quidq; pro quoq;. p. 274. *lin.* 9. *lege* aliquod *lin.* 18. *lege* à diversis. *lin.* 19. *lege* dolo malo. p. 275. *lin.* 14. pro & *lege* ut. *lin.* 16. *lege* emerunt. p. 276. *lin.* 6. *lege* subsequente. *lin.* fin. *lege* sublato, non tamen ususfructus. P. 277. *lin.* 1. *lege* villæ extinguitur. *lin.* 3. pro actoris *lege* actionis. *lin.* 22. pro permittitur, *lege* perimitur. p. 278. *lin.* 10. pro noluerit *lege* nocuerit. p. 279. *lin.* 18. *lege* possidet. p. 280. *lin.* 11. *lege* equorum *lin.* 15. *lege* eos, easve. p. 281. *lin.* 12. à fin. dele ut. *lin.* 14. pro pelianæ. *leg.* Pauliana. *lin.* 3. à fin. *lege* diminuitur. p. 282. *lin.* 11. pro juris *lege* juris *lin.* 13. pro stipulator, *lege* stipulatio. *lin.* 14. post ferat, adde *l.* p. 283. *lin.* 17. pro eam *lege* eum. p. 286. *lin.* 6. pro quidem *lege* quidam. p. 288. *lin.* 17. pro mulieri *lege* marito. 291. *lin.* 2. pro singularibus, *lege* universalibus. *lin.* 2. à fin. pro est, *lege* &. p. 292. *lin.* 9. à fin. pro ferent, *lege* ferenti. p. 293. *lin.* 1. pro perficere, *lege* proficere. *lin.* 9. à fin. *lege* ut in. p. 294. *lin.* 11 à fin. pro perficiat, *lege* proficiat. *lin.* 7. à fin. *lege* prodest ejus. p. 295. *lin.* 4. pro particapat, *lege* participet. p. 296. *lin.* 9. pro vocabilia, *lege* vocabula p. 297. *lin.* 14. pro retrohi, *lege* retrotrahi. p. 299. *lin.* 15. pro si *lege* sive. p. 301. *lin.* 2. à fin. pro possessionem, *lege* procurationem. p. 303. lin. 7. pro furto *lege* forte. *lin.* 2. à fin. pro quid, lege quod. p. 304. *lin.* 5. *lege* ignoscitur. servis. p. 312. *lin.* 4. *lege* nascitur jus.

